



2060.

1239.

XK. 19.





IOANNIS FRIDERICI FASELII

PHIL. ET MED. DOCTOR.  
THEORET. PROFESS. PVBL. ORDINAR.

ELEMENTA  
MEDICINAE FORENSIS

PRAELECTIONIBVS ACADEMICIS  
ACCOMMODATA

EDIDIT

CHRISTIANVS RICKMANN

M. D.



---

IENAE

IMPENS. IO. WILH. HARTVNG  
CICICLXVII.

IOANNIS ERIDERICI FASSETII

PHIL. ET MED. DOCTOR  
THEORET. PROFESS. LATER. ORDINAR.

ELEMENTA  
MEDICINÆ FORENSIS

PRAELEGATIONIBAS ACADEMICIS  
ACCOMMODATA

KENRICI KAMAN  
UNIVERS.  
ZVILLAGE



---

IENAE  
IMPRÆS. IO. WILH. HARTUNG  
CIVICIS CERTAII.



## LECTORI SALVTEM!

Si quae est scientiae medicæ pars, quae sero in  
academiis explicari incepit atque excoli, ea  
errare est, quae medicina forensis seu legalis  
appellatur, noua in vniuersum doctrina, aequa  
cum chirurgia, ac medicina connexa. Veteres quidem va-  
ria ad medicinam forensem spectantia pertractarunt argu-  
menta et antiquissimi iam populi quaestiones medicas in leges  
suas receperunt, ut hoc respectu noua ea in vniuersum dici  
non debeat, sed quatenus, obseruationum medico-legalium  
numero successiue adauecto, ad artis tandem formam redacta

## P R A E F A T I O.

fuerit. Verus enim medicinae forensis ortus, tamquam propriae partis medicinae, ad aetatem *Constitutionis Criminalis Carolinae* referendus est, quippe cum ex quaestionibus medicis in ea receptis amplissima postea obseruationum seges nasceretur, inde orta est talis, qualis nunc est rerum medico-legalium doctrina \*).

Pertractat medicina forensis ea, quae nosse debent medici *Physici* appellati, quoniam naturae operum periti esse debent atque a magistratibus eum in finem constituti sunt, ut curam vrbis atque prouinciarum medicam gerant, suaque ope ipsis ad accuratiorem iustitiam exercerendam in easibus obuiis praesto sint; vt hinc nemo officio medici physici rite perfungi queat, nisi in hac medicinae parte probe versatus. Et sane non leue est negotium huius doctrinae non solum medicis, sed etiam iureconsultis, sine iudicibus, siue causarum patronis, praeprimis scitu necessariae. Etenim non tantum de sanitate publica, magistratum cura et prouidentia procuranda, disquirit, sed ea quoque explicat dogmata medica, quibus iudicibus interdum opus est, vt aqua lance iustitiam expendere et suum cuique tribuere queant, ne vel  
multo lego medicorum operum et huius doctrinae ciui-  
tatis\*) Conf. H. BOERHAAVE Method. Stud. Med. Amstel. 1751.  
-800 p. 803. 200

## P R A E F A T U O.

citium bona et fama laedantur ac detrimentum immerito capiant, ruel innocentis et qui ex lege excusationis aliquid habent, ad ultimum rapiantur supplicium, sceleratique et malitiosi fraude euadant impunes.  
sq. Huius doctrinae elementa iam Tibi offero, Lector Honoratissime! et quidem viri in arte salutari docenda aequa facienda celeberrimi, IOANNIS FRIDERICI FASSELII, praceptoris nostri eheu! fato supremo, quod tota academia luget pioque ipsius desiderio prosequitur, praemature extincti.  
Beatus in urna venerandus auctor, dum doceret hanc medicinae partem, olim praecepta medicinae legalis b. Teichmeyeri auditoribus suis explicans, alia in iis ordinanda ac mutanda, alia vero, quae plane fuere omissa, addenda esse deprehendit. quam ob rem proprias hasce theses, ad usum preelectionum magis ordinatas et conclusas chartae demandauit, quas haeredibus b. auctore adnuentibus, ex ipso eius autographo publici iam iuris facimus, et quidem eo libenter, quia multorum voluntati simul ita satisfacere possumus.

Quod nonnullas notas passim annexas attinet, in iis ad motas a b. auctore non vero resolutas, quaestiones,

CAP.

( 3 )

bre-

## P R A E F A T I O.

breuissimis pro viribus respondere conati sumus. Ad indo-  
etrinam etiam de tortura eo perfectiorem efficiendam, cum  
instrumenta torturae non omnibus, qui ad hanc medici-  
nae partem addiscendam sese accingunt, nota et scitu ta-  
men necessaria sint, eo, quod aliter ipsorum in corpus  
humanum effectus diiudicari et usus ab abusu discerni non  
potest, imagines horum instrumentorum aere excusas ad-  
iunximus.

Est ceterum hic libellus genuinis principiis systema-  
tice superstructus et hinc praelectionibus academicis per-  
quam accommodatus. Ut vero eo melius totius huius  
opusculi ordo atque dignitas uno quasi intuitu conspici  
possit, sequentem generalem contentorum tabulam adi-  
cere haud incongruum atque a re non alienum existi-  
mauimus:

I. PARS, exponens ea dogmata, quae medico scitu sunt  
necessaria, quando iudex ideo est instruendus, ut ma-  
gis accurate iustitiam possit administrare:

I. SECTIO. De iis, quae medicus nosse debet, vbi  
ipsi est deponendum in foro ciuili:

CAP. I. De grauiditate vera celata.

CAP. II. De grauiditate ficta.

CAP.

## P R A E F A T I O N

ab ea de CAP. III. De partu:

SECT. I. De diuisione partus.

SECT. II. De signis partus tam maturi, quam  
non maturi.

SECT. III. De monstris.

SECT. IV. De hermaphroditis.

SECT. V. De partu vino atque vitali.

SECT. VI. De partu gemellorum, supposito, at-  
que superfoetatione.

SECT. VII. De partu legitimo atque illegitimo.

SECT. VIII. De molis.

CAP. IV. De virginitate.

CAP. V. De signis, quae indicant, quod femina  
quaedam partum ediderit.

CAP. VI. De aetatum diuisione.

CAP. VII. De morbis fictis atque celatis.

II. SECTIO. De iis, quae medicus nosse debet, quando  
renunciare debet in foro criminali:

CAP. I. De inspectione cadaverum legali.

CAP. II. De homicidiis.

SECT. I. De beneficiis.

PRO. D. CHRISTIANUS RICMANUS

SECT.

## P R A E F A T I O.

SECT. II. De homicidiis stricte sic dictis, sive de  
lethalitate vulnerum.

SECT. III. De infanticidio stricte sic dicto.

SECT. IV. De aborticidio.

CAP. III. De tortura atque poenis afflictuis corporis.

CAP. IV. De stupro violento.

III. SECTIO. De iis dogmatibus, quae medico scitu sunt  
necessaria, vbi ipsi est deponendum in foro ecclesiastico:

CAP. I. De diuertiis.

CAP. II. De baptismō monstrorum.

II. PARS, exponens ea dogmata, quae medicus  
nosse debet, quando eiusmodi relatio medica ipsi est  
efformanda, qua indiget magistratus, partim ut sanitas  
totius reipublicae magis promoueri queat, partim  
ut quorundam subiectorum in republica degentium sa-  
luti eo melius prospici possit.

Haec sunt, quae Tecum Lector Honoratissime! communica-  
re placuit, quem ceterum per quam rogatum volumus, ut ae-  
quo animo velit conamina haecce excipere bonaque in  
partem interpretari. Dabam Ienae die XX, Septembris A.  
C. MDCCLXVII.

D. CHRISTIANVS RICKMANN

PRO-



## PROLEGOMENA MEDICINAE FORENSIS.

§. 1.

**I**udicium, quod iussu iudicis a medico, vel interdum etiam a chirurgis, obstetricibus, nec non pharmacopoeis fertur de rebus ad artem medicam pertinentibus, eum in finem, ut index iustitiam vel magis accurate administrare, vel ciuium salutem eo melius promouere queat, vocatur relatio medica, depositio, renunciatio.

§. 2.

Medicus itaque nosse debet ista dogmata, quae ipsi scitu sunt necessaria, quo accuratam formare queat depositionem vel relationem medicam (§. 1.). Ista medicinae pars, quae tradit dogmata medico scitu necessaria, ut talem accuratam formare possit relationem, seu vt rite in foro deponere possit, vocatur medicina legalis, forensis, item jurisprudentia medica.

ELEM. MED. FORENS.

A

§. 3.

## PROLEGOMENA.

## §. 3.

Ex hac data medicinae forensis definitione sequentia fluunt consecutaria:

- 1) in medicina forensi discimus, quomodo certae leges, quae vel ad ius ciuile, vel criminale, vel canonicum spectant, ex genuinis artis medicae principiis sint interpretandae?
- 2) medicina legalis exponit officia, quae obseruanda sunt medico, qui munere medici prouincialis vel physici fungitur.
- 3) subiectum medicinae forensis constituunt homo variaeque res aliae, quibus sanitas vel conseruari, vel laedi potest.
- 4) medicus, qui efformat relationem medicam, impribus si haec est maioris momenti, sit legitime promotus, id est titulo doctoris aut licentiati saltim ornatus, exacte intelligat omnes medicinae partes, vti et artem rite rationandi, sit iuratus, conscientiae probe amans, adeoque bonae famae et fide dignus, alteruti partium, aut reo inquisito arcta cognitione non sit coniunctus, integris gaudeat sensibus, praesertim visu, ac tandem probè calleat stilum usitatum, quem propterea vocant forensem.

## §. 4.

Principia, ex quibus deducuntur ea quae in medicina forensi proponuntur dogmata, partim desumuntur ex variis medicinae et theoreticae et practicae partibus, partim ex physica atque metaphysica.

## §. 5.

Tota medicina legalis constat duabus ex partibus  
(§. 2.),

## PROLEGOMENA.

3

(§. 2.), quarum vna exponit ea dogmata, quae medico scitu sunt necessaria, quando ipsi sententia in foro ideo est dicenda, quo iudex iustitiam magis accurate administrare possit; in altera vero parte proponuntur ea dogmata, quae medico cognita esse debent atque perspecta, quando ipsius iudicium iudici ideo est necessarium, ut eo melius saluti subditorum inuigilare possit.

### §. 6.

Prima medicinae legalis pars iterum in tres partes subdividi potest (§. Praec.). Prima pars agit de iis dogmatibus, quae medicus nosse debet, quando ipsi relatio medica est formanda in foro ciuili; altera pars tradit ea dogmata, quae scitu medico sunt necessaria, quando renunciare debet in foro criminali; ultima denique pars exhibet ea dogmata, quorum notitia medico necessaria, vbi ipsi est deponendum in foro ecclesiastico.

### §. 7.

Altera medicinae pars quoque iterum dispesci potest in duas partes (§. 5.). Vna agit de iis dogmatibus, quae medicus nosse debet, quando eiusmodi relatio medica ipsi est efformanda, qua indiget iudex, vt salutem totius rei publicae magis promouere possit; altera vera exponit ista dogmata, quorum cognitio medico perspecta esse debet, vbi iudex ab ipso ideo est instruendus, vt hic quorundam subiectorum in republica degentium salutem melius promouere queat.

### §. 8.

Vsus medicinae legalis ex dictis (§. 2. sequ.) satis abunde patet.

A 2

PARS



## P A R S I.

MEDICINAE LEGALIS EXPO-  
NENS EA DOGMATA, QVAE ME-  
DICVS NOSSE DEBET, QVANDO  
IVDEX IDEO EST INTRVENDVS, VT  
MAGIS ACCVRATE IVSTITIA POS-  
SIT ADMINISTRARI.

## S E C T. I.

DE IIS DOGMATIBVS, QVAE MEDICO  
SCITV NECESSARIA, VBI IPSI EST  
DEPONENDVM IN FORO CIVILI.

## C A P. I.

DE GRAVIDITATE VERA CELATA.

## §. 9.

E xpansio abdominis maior in femina, quatenus efficit grauiditatis praesentis suspicionem, dependet vel a foetu, vel ab alio quodam corpore sine solido sive fluido, haerente aut in ipso vteri cauo, aut in parte quadam alia vtero adiacente: si posterius vocatur grauiditas falsa seu mala; si vero prius vocatur grauiditas vera, et haec duplicitis est generis, ordinaria atque extraordinaria. Ordinaria audit, quando unus vel plures foetus in ipso vteri cauo haerent; extraordinaria vero dicitur, quando foetus vel in ovario, vel in tuba Fallopliana, vel in cauo abdominis haeret.

## §. 10.

Non raro euenit, vt meretrices, quando in ipsis ad-  
est

## GRAVIDITAS VERA CELATA.

5

est grauiditas vera, impraegnationem factam negent, vel etiam vxor, facto diuortio, ex viro praegnantem se esse occultet, ut hinc tali in casu iustitia satis accurate possit administrari, medicus est interrogandus, qui sententiam ferre debet, an in eiusmodi femina grauiditas vera adsit, nec ne? Patet hinc, quid sit grauiditas vera celata et cur de ea in medicina forensi sit agendum.

### §. 11.

Vt itaque tali in casu medicus accuratam satis efformare possit relationem medicam, necesse est, vt inquirat, num in tali femina eiusmodi signa inueniat, quae grauiditatis verae praesentiam declarant.

### §. 12.

Sunt haec signa grauiditatis verae, quae ab auctoriis allegantur admodum varia, in genere tamen spectata sunt vel certa, vel incerta, vel falsa.

### §. 13.

Signa grauiditatis verae et quidem ordinariae (§. 9.) certa quidem dantur, ast tunc demum habent locum, vbi gestationis tempus fere quoad dimidiā partem est præterlapsum. Sunt vero talia sequentia:

- 1) intumescentia abdominis, quando nempe haec exoritur absque causis morbosis magis eminentibus prægressis, successiue increscit, ita ut ab imo ad summum adscendat simulque modice renitens atque circa umbilicum magis acuminata sit, nec non quando molestiae grauitatis sensum non causatur, aliisque impraegnationis signis simul respondeat.
- 2) orificium vterinum magis crassum, spongiosum, molle,

A 3



le, diductum, magis breue, nullam figuram conicam vel cylindricam exhibens.

- 3) foetus in utero haerentis motus.
- 4) suppressio fluxus menstrui, vbi nempe haec euenit absque causa morbosa quadam euidente praegressa eamque mammarum tumor consequitur atque ea symptomata, quae in principio tali ex suppressione sunt oborta, successiue remittunt, quamuis suppressio adhuc perduret.
- 5) tumor mammarum, quem insimul comitantur inflatio papillae, color venarum mammariarum externarum caeruleus, discus papillae colorem magis obscurum, nec non paruas eminentias, figura papillarum paruarum gaudentes, exhibens.
- 6) lympha, in qua striae laetae obseruantur, ad mamme pressionem profluenst.

#### §. 14.

Signa grauiditatis incerta (§. 12.) potiora sunt vomitus, alui obstructio, incontinentia vel suppressio vrinæ, respiratio difficilis, appetitus irregularis, vt pica, malacia, dolor capitis, vertigo, dentium dolor, ephelides seu maculae flauae faciei, ventris complanatio, orificii ventrini descensus, varices, pedum tumores, lumborum atque inguinum dolor etc.

#### §. 15.

Signa grauiditatis falsa (§. 12.) sunt vulua a coitu sicca manens, mixtura ex vino et melle pota, orificium vteri clausum, nec non ea signa, quae ab vrina desumuntur.

#### §. 16.

## §. 16.

Ex his ergo dictis sequitur; nullum satis accuratum iudicium de grauiditate praesente posse ferri, nisi probe explorentur ista grauiditatis signa, quae vocantur certa (§. 13.) et quidem ita, ut ea non singulatim, sed coniunctim probe considerentur. Quia vero haec signa certa exacte explorari non possunt, nisi fiat inspectio atque contactus ventris & mammarum, nec non decens orificii vterini examen, sequitur, ut semper, priusquam in foro de grauiditate praesente deponitur, talis inspectio antea suscipi debeat. Ordinarie talem inspectiōnem iudices committunt obstetricibus, uti v. g. patet ex Artic. XXXV. Const. Criminal. atque ex Tit. IV. Libr. XXV. Digest., ast melius est, si talis inspectio a medico satis perito, si obstetrics non sint probatae artis et fidei, peragitur.

## §. 17.

Interdum accedit, ut facta hac inspectione (§. praec.) nihil certi ratione grauiditatis praesentis determinari possit; quando v. g. haec suscipitur primis grauiditatis mensibus (§. 13.): quod si ergo hoc est, atque quaedam grauiditatis suspicio supermanet, post tempus quoddam praeterlapsum talis inspectio est reiteranda, intereaque femina tam diu est custodienda, donec noua inspectione instituta satis constet, an grauiditas vera adsit, nec ne?

## C A P. II.

## DE GRAVIDITATE FICTA.

## §. 18.

**Q**uando impraegnatio, quae adesse dicitur in femina quadam, reuera non adest, grauiditas ficta seu affecta-

fectata dicitur. Saepius haec a mulieribus varias ob causas in foro fingitur, necessitas ergo requirit, ut medici iudicium a iudice tali in casu in auxilium vocetur, quo magis accurate iustitia ab ipso administrari possit.

## §. 19.

Quo itaque in hoc casu medicus satis exactam efformare queat depositionem medicam (§. 1.), necesse est, ut rite inquirat, num praesentia sint eiusmodi signa, quibus impraegnatio affectata dignosci potest. Sunt vero haec signa sequentia:

- a) Signa ea quae indicant, quod femina plane non concipere possit, quae sunt aetas incongrua, id est vel nimis profecta, vel nimis tenera, defectus mensium praeternaturalis et quidem in aetate congrua, fluxus mensium nimius, fluor albus benignus largior et inueteratus, varii morbi vaginae vteri, ut orificium vaginae integre occlusum, coalitus parietum vaginae vteri etc. morbi varii vteri, quales sunt scirrus, sarcoma, orificio vteri penitus clausum etc.
- b) defectus intumescientiae abdominis.
- c) absentia tumoris mammarum.
- d) defectus motus foetus.
- e) absentia lymphae strias lacteas exhibentis in mammis.
- f) orificio vterinum firmum, compactum, durum, minus diductum.

## §. 20.

Ex his dictis ergo etiam adparet, quod nunquam sat accuratum a medico possit ferri iudicium de grauiditate facta, nisi fiat inspectio atque contactus abdominis, mammarum, nec non accurata orificii vterini exploratio. Valent hinc ratione huius ea quoque, quae iam dicta sunt §. 16. 17.  
CAP.

GRAVIDITAS FICTA CAP. III. PARTVS ETC. 19

C A P . III.  
D E P A R T V.

SECT. I.

DE DIVISIONE PARTVS.

§. 21.

Vocabulum partus vario accipi sensu solet. Modo denotat istam actionem, mediante qua foetus in lucem editur, modo denotat ipsum foetum seu infantem recens editum.

§. 22.

Si vox partus in primo sensu sumitur, (§. praec.) partus est vel ordinarius, vel extraordinarius. Ordinarius dicitur, quando foetus per vias ordinarias ex matre abit; extraordinarius, qui etiam partus caesareus audit, quando per vias extraordinarias ex utero materno excluditur. Partus ordinarius iterum diuiditur in naturalem atque artificialiem seu praeter naturalem.

§. 23.

Quod si vero vox partus denotat ipsum foetum (§. 21.) tunc diuidi potest, dum respicimus modo ad tempus, quo foetus nascitur; modo ad conformatiōnem seu figuram externam, quam foetus, qui in lucem editur, habet; modo ad vitam; modo ad numerum foetuum, qui in lucem prodeunt.

§. 24.

Si ad tempus respicimus, quo foetus nascitur (§. 23.) tunc partus est vel maturus seu perfectus, vel non matus seu imperfectus. Maturus (ein reifes, zeitiges, gliedmäfiges

B

Kind)

Kind) dicitur, quando sit nono grauiditatis mense absoluto; quando vero ante nonum grauiditatis mensem ex matre abit, non maturus appellatur. Non maturus modo audit abortus, modo partus praecox seu praematurus. Abortus (eine unreife, unzeitige Geburt) dicitur, quando foetus ex utero abit ante septimum grauiditatis mensem; partus praematurus (eine fröhzeitige Geburt) nuncupatur, quando contingit inter septimi et noni mensis grauiditatis finem. Pertinet huc etiam simul partus serotinus seu retardatus, sub quo intelligitur talis partus, qui sit post iustum atque ordinarium tempus.

## §. 25.

Quod ad conformatiōnēm, qua foetus gaudet, dum in lucem editur (§. 23.) partus diuidi potest in monstrosū et non monstrosū. Monstrosus seu monstrum audit partus, quando eius conformatio recedit a conformatiōne ordinaria; quod si vero hoc non est, vocatur non monstrosus.

## §. 26.

Partus monstrosus seu monstrum (§. praec.) iterum diuiditur in perfectum atque imperfectum. Perfectum dicitur monstrum, quando a conformatiōne ordinaria in totum recedit; v. g. quando brūfum repreſentat, vt canem, simiam cetr. imperfectum audit, quando conformatio vitiosa tantum est partialis.

## §. 27.

Monstrum imperfectum (§. praec.) iterum diuidi potest in monstrum stricte dictum atque ostentum seu portentum. Monstrum stricte dictum vocatur, quando conformatio capitī a conformatiōne ordinaria recedit; portentum vero salutatur, vbi conformatio aliarum partium est vitiosa.

## §. 28.

SECT. I. DIVISIO PARTVS.

§. 28.

Monstrum stricte dictum (§. praec.) iterum duplicitis est generis, modo audit monstrum acephalum stricte dictum, quando nempe foetus nascitur sine capite, modo monstrum acephalum improprie tale, quando nempe eius caput habet faciem bestialem.

§. 29.

Portentum (§. 27.) diuidimus in portentum stricte dictum atque hermaphroditum. Hermaphroditus appellatur, cui vitiosa est conformatio organorum generationis, et quidem ita, vt vtriusque sexus genitalia adsint et tunc vel perfecte, vbi vocatur hermaphroditus perfectus, vel imperfecte, vbi appellatur imperfectus, qui iterum diuiditur in androgynum et androgynam; portentum stricte dictum vero est, cui vitiosa est aliarum partium v. g. pedum conformatio.

§. 30.

Si ad vitam partus seu foetus, qui excluditur respicimus, (§. 23.) tunc diuiditur in viuum atque mortuum et viuus iterum dispescitur in vitalem atque non vitalem, seu viuum stricte dictum. Vitalis audit, qui non solo post factam exclusionem viuit, verum etiam vitam suam continuare potest; non vitalis vero appellatur, qui quidem viuus excluditur, sed vitam ob partium infirmitatem continuare nequit.

§. 31.

Quodsi respicimus ad numerum foetuum, qui ex vtero excluduntur, (§. 23.) tunc vel unicus excluditur, vel duo vbi audiunt gemelli, vel tres vbi audiunt trimelli, vel quatuor vbi audiunt quadrimelli,

B 2

§. 32.

## §. 32.

Tandem etiam iurisconsulti partum dividunt in legitimum atque illegitimum; item in animatum atque non animatum. Quid vero sub qualibet tali specie sit intelligendum, ex sequentibus satis clare patebit.

## SECT. II.

DE SIGNIS PARTVS TAM MATVRI  
QVAM NON MATVRI.

## §. 33.

**S**igna haec medico potissimum ideo cognita esse debent, ut accuratum ferre queat iudicium, quando ipsi in foro est deponendum, vtrum foetus in lucem editus sit maturus, nec ne? Decens enim relatio ab ipso concinnari non potest, nisi antea probe inspiciat eiusmodi partum, simulque inquirat, num occurrant tali in foetu eiusmodi signa, quae ipsum vel esse maturum, vel non maturum satis clare indicant.

## §. 34.

Ista signa, quae foetum in lucem editum esse non maturum innuunt (**§. 24.**) desumuntur

- 1) ab eius magnitudine, quodsi enim haec nondum est aequalis magnitudini vnius pedis, certi esse possumus, foetum esse immaturum.
- 2) ab eius pondere, nimirum si pondus foetus est quinta libra leuius, tunc certum est indicium foetum esse non maturum.
- 3) ab eius capite eiusque partibus, nam si foetus est immaturus, tunc facies est deformis, senilis quasi, cum

PARTVS MATVRVS ET NON MATVRVS. 13

cum rectu oris magno, aures sunt pertenues, membranis similes, oculi sunt clausi, capilli in capite sunt albicantes, fontanella seu hiatus rhomboides plus hiat, ossa cranii magis sunt mobilia, labiaque oris instar carnis cruentae deprehenduntur.

- 4) ab eius habitu corporis, est nempe corpusculum foetus immaturi ut plurimum magis macilentum, molli lanugine quasi obductum totaque cutis ut plurimum rubet, potissimum in partibus extremis atque facie, et si est foetus sexus masculini, scrotum est rubicundum atque testiculi in ipso non deprehenduntur.
- 5) ab eius artibus, qui sunt tenues, graciles in foetu immaturo, vnguesque in digitis praesentes sunt molles, breves, ultra digitos non prominentes, imo si embryo est admodum exiguum, id est vnius vel duorum mensium, digitus manuum pedumque indistincti quodammodo et sine vnguis conspicuntur.
- 6) a conformatione seu constitutione ossium, nam teste experientia substantia ossium foetus singulis mensibus faciem variam a priori diuersam satis conspicuam exhibet, v. g. in foetu quinque mensium orbita oculorum tota est iam ossea et in foetu septimestri ossicula auditus adeo perfecta sunt, vt vix differant ab ipsis in natura grandioribus. Qualis sit constitutio ossium foetus pro ratione singulorum mensium, accurate discere possumus, partim ex Kerckringii Osteogenia partim ex Albini Osteogenia, partim ex Wilb. Christ. Hoffmanni Disquisitione de ossibus foetus, quatenus inseruiunt aetati determinandae.
- 7) a funiculo umbilicali magis tenui.
- 8) ab aliis circumstantiis simul praesentibus, nimirum  
B 3 foetus



foetus immaturus somno fere continuo indulget, vagitum nullum edit, frigus perferre plane non potest, vbera non petit, membraque perfecte mouere aliasque foetui maturo conuenientes actiones exercere nequit v. g. vrinam mittere, meconium sponte excretere cet.

§. 35.

Signa ista, ex quibus iudicare potest medicus, foetum in lucem editum fuisse maturum, (§. 24.) desumuntur:

- 1) ab eius iusta dimensione, quae ad minimum aequalis esse debet longitudini vnius pedis atque sex pollicum,
- 2) ab eius pondere, quod ad minimum ad sex ascendere debet libras,
- 3) a conformatione ossium, quae ita esse debet, ut ordinarie ea in foetu, qui iusto tempore in lucem editur, apprehenduntur.
- 4) a funiculo vmbilicali, qui magis crassus esse debet.
- 5) ab aliis circumstantiis praesentibus, nempe foetus maturus clamat, unde dicitur: das Kind hat die vier Wände beschrien, membra perfecte mouet, oculis apertis circumspicit, ex mammis lac fugit, somno continuo non detinetur, frigus aliqualiter perferre potest, cuius habet cuius color magis est albidus, vrinam atque aluum excernit, vnguesque magis longos atque induratos exhibet, capillis veris in capite est instructus cetr.

SECT.

SECT. III. IV. MONSTRA, HERMAPHRODITI. 15

SECT. III.  
DE MONSTRIS.

§. 36.

**Q**uid monstra et quotuplicia ea sint, dictum fuit §. 25. sequ.: in praesenti ergo tria adhuc ratione ipsorum sunt eruenda, nempe quaenam sit causa monstrorum, an ea sint vitalia, et an monstra perfecte talia existere possint.

§. 37.

Causa monstrorum est varia, modo ea quaerenda est in ipsa matre et quidem in eius imaginatione vehementiori, modo in ouulo foecundato, dum vel statim adest delinatio vitiosa primi rudimenti, vel hoc dum in utero haeret, laeditur aut per vim externam aut per morbum, modo in ipso utero, modo in isto fluido, in quo foetus in utero haerens natat.

§. 38.

Ad quaestionem, num monstra sint vitalia (§. 30. 36.) ita respondemus: interdum sunt vitalia, interdum vero non vitalia; experientia enim testatur de monstris, quae per plures annos vixerunt. Ad quaestionem vero, num monstra perfecte talia existere possint, (§. 26. 36.) negatiuam damus responsionem, quia ex homine non nisi homo nasci potest.

SECT. IV.

DE HERMAPHRODITIS.

§. 39.

**D**uo potissimum ratione hermaphroditorum (§. 29.) rite sunt expendenda, nimirum an dentur hermaphroditi et

et quid sit ipsorum causa; his enim rite cognitis, omnia reliqua ad hanc doctrinam spectantia, perquam facile intellegi possunt.

## §. 40.

Problema, an vñquam hermaphroditii existent, ita decidere possumus: distinguendum est inter hermaphroditos perfectos et imperfectos; imperfectorum existentia non potest vocari in dubium, quippe quam experientia satis superque comprobat; perfectorum vero existentia omnino negari potest et quidem ideo, quoniam nonsolum experientia non suffragatur, sed etiam aliquid esset sine ratione sufficiente. Inter figmenta ergo referendi sunt omnes isti casus, quorum plures ex variis autoribus collegit *Schurigius in Spermatologia Cap. 13.* et qui testantur de hermaphroditorum perfectorum existentia, sed fidem maxime suspectam habent,

## §. 41.

Omnis ergo hermaphroditus, qui in lucem editur est imperfectus et hinc vel androgynus, vel androgyna. (§.29.) Androgynus erit, ubi organa generationis masculina perfecte habet atque simul in perinaeo, vel in pube, vel in scroto plicato rimam quandam, ad formam vulvae efformatam, possidet; androgyna erit, quando organa generationis feminina perfecte conformata habet, ita tamen, ut simul vel clitoris habeat magnitudinem iusto maiorem, vel in superna parte muliebris pudendi ad speciem virgæ virilis eminentia quaedam carneæ cutanea imperforata appareat. Et hinc androgynus in republica pro viro, androgyna vero pro femina iure habenda est, adeoque omnis hermaphroditus revera aut femina est, aut vir. Sunt quidem nonnulli, qui etiam tertium genus hermaphroditorum imper-

## HERMAPH. SECT. V. PARTVS VIVVS ET VITALIS. 17

imperfectorum admittunt, qui nempe sunt tales in quibus neuter sexus est perfectus, ast et de horum existentia omnino dubitandum est.

### §. 42.

Hermaphroditus est species monstri; (§. 25. seq.) ea ergo quae dicta sunt de causis monstri, etiam valent de causis hermaphroditorum (§. 37. 39.)

### §. 43.

Ex his dictis sequentia solui possunt problemata: an hermaphroditi pro potentibus aut impotentibus sint declarandi? num ad matrimonium sint admittendi? num, antequam ad matrimonium admittuntur, antea inspectione oculari sint explorandi? nec non an detur sexus mutatio i.e. filiae in filium, vel filii in filiam mutatio?

## SECT. V.

### DE PARTV VIVO ATQVE VITALI.

#### §. 44.

Ratione partus viui (§. 30.) potissimum haec quaestio decidenda venit, quonam tempore foetus post factam in matre conceptionem vitam viuere incipiat, vt nonsolum perspici possit, distinctionem, quam veteres constituerunt inter foetum animatum et non animatum, quam etiam postea Carolus V. in Const. Crim. Art. 133. recepit, esse falsam, verum etiam, vt alia ad doctrinam de abortu spectantia magis accurate determinari queant.

#### §. 45.

Omnis conceptio fit in ouario, quando nempe pars  
Elem. Med. Forens. C seminis

seminis masculini maxime subtilis, aura seminalis dicta, mox post eiaculationem semenis, tempore coitus factam, penetrat in ouulum vnum vel alterum, atque in delineatione futuri hominis, in ouulo iam haerente, turgescientiam atque motum humorum producit. (per princ. med.) Posita ergo conceptione ponitur motus humorum in delineatione futuri hominis, vbi motus humorum, ibi etiam adest vita. Ergo statim a conceptione facta foetum viuum esse adparet. Errant itaque 1) isti, qui sibi persuadent, foetum vitam suam tunc demum acquirere, quando in utero sese moueret adeo eminenter, ut mater talem motum perciperet 2) isti, qui existimant vitae inchoatae terminum esse modo septimum, modo decimum quartum diem a facta conceptione, modo mensem et ultra 3) isti, qui putant, quod foetus, quam diu in utero est et nondum respirat, pro non viuo sit habendus.

## §. 46.

Foetus in utero haerens dicitur animatus seu formatus, (§. 32.) quando suam habet animam; quando vero animam suam nondum habet, vocatur inanimatus seu non formatus. Terminus ergo animationis foetus est illud tempus, quo foetus in utero haerens suam accipit animam.

## §. 47.

Quia 1) vita hominis animae praesentiam supponit (per princ. med.) 2) quia anima futuri hominis iam ante conceptionem adest in delineatione futuri hominis, nam tempore generationis oriri non potest, hinc sequitur, ut foetus a momento conceptionis primo sit animatus, (§. 45. 46.) adeoque distinctio, quam doctores faciunt inter foetum animatum et non animatum, est falsa.

## §. 48.

## §. 48.

Terminus ergo animationis foetus quoque est nullus, (§. 46. 47.) adeoque isti a vero aberrant, qui credunt, quod terminus animationis foetus sit tempus gestationis medium, quoniam circa hoc motus foetus a grauida manifesto percipitur.

## §. 49.

Hac occasione quaeri potest, vbinam animae humanae sit sedes? Paucis ita respondemus: est ea in cerebro, quia cerebro notabiliter laeso etiam facultates animae laeduntur, nec non quia a cerebro proueniunt omnes nerui, qui sunt tales corporis nostri partes, mediantibus quibus anima nostrum in corpus agit. Neutquam vero totum cerebrum est sedes animae, sed pars cerebri tantum et quidem ista, quae vocatur sensorium commune, sub quo anatomici intelligunt istam cerebri partem, a qua omnes nervi sensibus et motibus voluntariis destinati suam trahunt originem.

## §. 50.

Omnes nervi sensibus et motibus voluntariis destinati trahunt originem ab ista cerebri parte, quae vocatur medulla oblongata. (per princ. anat.). Sedes ergo animae est in medulla cerebri oblongata. (§. praec.)

## §. 51.

Ratione partus vitalis (§. 30.) hic loci praecipue inquirendum est, quinam partus, si ad tempus, quo in lumen eduntur, respicimus, sint vitales? Ut hinc certi quid eiusmodi in casu a medico determinari queat, sequentia probe sunt annotanda:

1) omnis partus, qui ad abortuum classem referendus

C 2

venit,

venit, non est vitalis, (§. 24. et 30.) nam si etiam vi-vus excluditur, vitam tamen continuare non potest, quia alimenta, quae ad conseruationem vitae sunt ne-cessaria, nec assumere, nec ita mutare potest ob tex-turam corporis admodum teneram, ut exinde fieri possit nutrimentum corporis sufficiens. Prostant qui-dem apud varios auctores exempla partum quinque-mestri et sextimestri, quos pro vitalibus vendi-tarunt, sed omnia haec aperte sunt falsa.

- 2) partus septimestris, id est qui 182 die post celebratas nuptias lucem adspicit, vitalis teste experientia esse potest, rarius tamen vitam per longam annorum se-riem continuat. Hippocrates hinc iam talem partum vitalis esse pronunciauit, vti patet ex eius libro de partu septimestri, vbi inquit: *qui septimo mense nati sunt, supersunt quidam licet ex multis pauci.* Huius vi-ri effato dein plurimi ICtorum atque medicorum, imo ipsae leges assensum praebuerunt.
- 3) partus octimestris etiam vitalis esse potest, quia enim partus septimestris tamquam minus perfectus viralis esse potest, etiam octimestri, ut magis perfecto vitali-tas denegari non potest. Stauunt quidem nonnulli praecente Hippocrate contrarium, ast assertum hoc admodum infrimis superstruetum est argumentis.
- 4) omnis partus praecox vitalis esse potest. (§. 24.)
- 5) partus nonimestris est vitalis et simile quid etiam valet de partu serotino. (§. 24.)

SECT.

SECT. VI. PART. GEMELLORVM ET SVPPPOSITVS 21

SECT. VI.

DE PARTV GEMELLORVM, SVPPOSITO  
ATQVE SVPERFOETATIONE

§. 52.

Quando de partu gemellorum (§. 31.) quaeritur, cuinam ius primogeniturae competat, tunc vel ab adstantibus potest determinari, qui primus ex utero materno fuit exclusus, siue per vias naturales, siue per vias artefactas (§. 22); vel hoc ab iis non potest assignari. Priori in casu medico forensi est afferendum, isti ius primogeniturae competere, qui prius fuit natus; in posteriori vero casu nihil certi deponere potest, sed decisio Iuris plenarie est relinquaenda.

§. 53.

Interdum etiam lites oriuntur in foro ratione partus suppositi, ad quas rite componendas medici forensis iudicium est necessarium. Ea propter ergo ea, quae ratione huius doctrinae ad forum medicum spectant, paucis sunt enodanda. Nimirum duo sunt casus, vbi ratione partus suppositi medici iudicium in auxilium vocatur:

- 1) vbi quaeritur, an suppositio partus actu sit facta?
- 2) vbi de suppositione partus, quatenus adhuc in fieri est, quaestio mouetur?

§. 54.

Actu esse factam partus suppositionem (§. praec.) certus esse potest medicus,

- 1) quando in matre nulla inuenit signa, ex quibus distinguere potest, eam partum esse enixam;

C 3

2) quan-

- 2) quando in matre eiusmodi animaduerit signa, eam ad conceptionem plane esse inhabilem (§. 19. no. a)
- 3) quando in marito eiusmodi signa deprehendit, quae innuunt ipsum ad generandum esse ineptum;
- 4) quando constitutio vmblici foetus neutiquam ita obseruatur, vt in foetu recens edito esse debet; Alii etiam existimant, quod partus suppositio sit facta, vbi dissimilitudo foetus cum patre obseruatur, verum signum hoc admodum est fallax,

§. 55.

Quod si vero de suppositione foetus, quatenus ea adhuc est in fieri, quaeritur, (§. 53.) explorandum est, num adsint eiusmodi signa, ex quibus certo cognosci potest, grauiditatem esse fictam, nec ne? si prius, crimen falsi statim appetit; si vero posterius, iudex permittat necesse est, vt ii, quorum interest, partum, vbi sit, obieruent atque simul examinent.

§. 56.

Impraegnatio feminae iamiam grauidae dicitur superfoetatio (Ueberschwangerung). Diuidimus eam cum aliis in veram seu exquisitam atque spuriam. Vera dicitur, quando uterque foetus in utero materno continetur; spuria vero audit, vbi unus foetus in utero, alter vero vel in ovario, vel in tuba Fallopliana, vel in cauo abdominis haeret.

§. 57.

Patet ergo, quod ad omnem superfoetationem (§. praec.) sequentia requisita sint necessaria:

- 1) grauida gestare debet duos sicut foetus, qui sunt distinctae aetatis.
- 2) par-

PARTVS SVPPPOSITVS, SVPERFOETATIO 23

- 2) partus horum foetuum non debet esse contemporaneus,  
sed notabile tempus inter vtriusque foetus partum in-  
cedere debet, adeoque
- 3) talis femina, in qua superfoetatio locum habet, et  
grauida et puerpera esse debet.

§. 58.

Disputant quidem adhuc hodie eruditii de superfoeta-  
tionis existentia, ast cum superfoetationis potissimum verae  
exempla fide dignissima apud obseruatorcs occurrant, vti  
v. g. talia recensita inueniuntur in b. Grauel Dissert. de  
superfoetatione Argentorati 1738. habita, b. Eisenmanni Tab.  
Anat. quatuor, 1752. Argentorati editis, nec non in rela-  
tionibus publicis eruditis Lipsiensibus Anno. 1725. no. 85.  
promulgatis; non videmus, quam ob causam superfoetatio-  
nis existentiam in dubium vocare velimus.

§. 59.

Probe tamen est tenendum, quod superfoetatio vera  
neutquam fieri possit in omnibus feminis ad concipiendum  
aptis, sed in iis tantum, quarum vterus a conformatione  
ordinaria recedit, id est, qui vel est bifidus, seu per sep-  
tum quoddam intermedium in duo cana diuisus, vel qui est  
bicornis. Quod si enim vterus ordinariam habet confor-  
mationem in femina, tunc si grauida sit, ouulum foecunda-  
tum totam vteri cauitatem adimpleat, et hinc quando denuo  
coitum celebrat, ea feminis virilis pars, quae est ad con-  
ceptionem necessaria, ad ouarium peruenire nequit, con-  
sequenter nulla etiam noua euenire potest impregnatio.  
Ex aduerso, si femina iamiam grauida habet vterum bifidum,  
vel bicornem, tunc, si de novo exercet cum marito coitum, pars  
feminis virilis ad conceptionem necessaria ad vnum adhuc  
ouarium

ouarium peruenire potest, consequenter talis semina iam grauida denuo concipere potest.

## S. 60.

Longe aliter vero est censendum de superfoetatione spuria, (§. 56.) quippe quae quoque euenire potest in iis, quarum vterus suam ordinariam habet conformatiōnem, necesse tamen est, ut iste foetus, qui primum concipitur, suum domicilium non habeat in ipso vtero.

## S. 61.

Ex his dictis adparet (§. 57. seq.) quomodo superfoetatio fieri possit. Quod vero tempus attinet, quo fieri soleat superfoetatio, illud haud adeo certo constat, et signa quoque superfoetationis certa non habentur.

**Not.** Omnino certum atque determinatum statui non posse tempus, quo superfoetatio fieri soleat, ratio atque observationes indicare videntur; quamvis probabile sit, promptius talem contingere posse primis a priori conceptione septimanis, quoniam eo tempore liberior aurae seminali, per orifice alterius tubae Fallopii nondum a foetu compressum, via pater. An vero contigerit superfœtatio, nulla ante partum certa signa habentur, probabilita tamen sunt, quando tumore in uno latere abdominis orto similiis in altero latere oboritur, motusque infantis modo in hoc, modo in altero latere a matre percipitur. Quae tamen potissimum de vera superfoetatione valent.

## SECT. VII.

DE PARTV LEGITIMO ATQVE  
ILLEGITIMO.

## S. 62.

**P**artus legitimus in sensu medico idem denotat, quod partus maturus, (§. 24.) in sensu vero iuridico sub partu legitimo

## SECT. VII. PARTVS LEGITIMVS, ILLEGITIMVS 25

legitimo intelligitur talis partus, qui ex iusto matrimonio, tempore quo haereditatem adire atque in alios transferre potest, in lucem est editus. Quid ergo sit partus illegitimus tam in sensu medico, quam iuridico, ex iam dictis intelligitur.

### §. 63.

Partus ergo legitimus iuridico sensu consideratus duplicitis est generis, nimirum est legitimus

- 1) vel ratione natuitatis,
- 2) vel ratione conformatioonis corporis.

Legitimus ratione natuitatis appellatur, quando ex iusto matrimonio est natus, vbi vocatur ein ehrlich und ehrlich Kind; legitimus ratione conformatioonis vocatur ein zeitig und gliedmäfiges auch lebendiges Kind, quando eo tempore est natus, quo haereditatem adire atque donationem vel testamentum rumpere potest. Partus illegitimus ergo in sensu iuridico sumtus etiam est duplicitis generis, vt ex dictis statim adparet.

### §. 64.

Duo ergo potissimum sunt casus, vbi medico forensi de partu an sit legitimus, an vero illegitimus, (§. 32.) iudicium est ferendum. Primus concernit partum legitimum vel illegitimum ratione natuitatis; alter vero partum legitimum vel illegitimum ratione conformatioonis corporis.

### §. 65.

Vbi Medico ratione primi casus quid est determinandum, necesse est, vt respiciat tam ad tempus, quo partus fuit absoluens, quam ad tempus nuptiarum celebratarum,  
Elem. Med. Forens. D nec

nec non ad conformatiōnēm foetus, num nempe adulterio  
vel maior sit, quam qui a tempore nuptiarum conceptus  
esse queat,

## §. 66.

Partus ergo legitimus ratione natuitatis esse potest  
omnis abortus, (§. 24.) partus praecox, (§. cit:) partus no-  
nimestris, et hinc quoque caesareus, (§. 22.) nec non certo  
respectu serotinus, (§. 24.) quando nempe est decimestris.  
Illegitimus vero ratione natuitatis semper est:

1) omnis partus pérfectus maturus, (§. 24.) vbi contingit  
sesto vel septimo mense post nuptias celebratas.

2) omnis partus serotinus, quando est undecimestris,  
duodecimestris, tredecimestris, imprimis si maritus ante  
obitum morbo grauiori chronicō laborauit. A veritate  
recedunt ergo isti, qui existimant, quod variae  
possint esse causae, quae foetus moram in vtero re-  
tardare possint. Omnes enim hae causae, quae tan-  
quam causae partum serotonum efficiētes allegantur et  
quales verbi gratia sunt curiae atque tristitia, morbi gra-  
uiores ut haemorrhagiae intercurrentes, dispositio phry-  
sica etc. ita sunt comparatae, ut potius partum acce-  
lerent, quam ut ab iis retardari queat. Interim tamen  
huc non sunt referendi isti foetus, qui non haerent  
in ipso vtero, sed aliis in locis v. g. in ouario.

3) omnis partus suppositus. (§. 53.)

## §. 67.

Ad alterum casum quod attinet, (§. 64.) vbi nempe  
medico determinandum est, num partus ratione conformatiō-  
onis sit legitimus, nec ne, tunc inquirendum tantum est.  
vtrum

PART. LEGITIM. ILLEGITIM. SECT. VIII. MOLA. 27

vtrum talis partus sit vitalis, (§. 51.) an vero non. Si prius, partus legitimus, si vero posterius, illegitimus est pronunciandus.

§. 68.

Est ergo partus legitimus ratione conformatio[n]is  
(§. 63.)

1) Partus septimestris, vt etiam patet ex lege Pandect.

L. 3. §. 12. de suis et legitimis haered.

2) partus octimestris atque nonimestris.

Illegitimus vero est ratione conformatio[n]is omnis abortus.

§. 69.

Ceterum multi eruditorum credunt etiam, quod monstra inter partus illegitimos sint referenda, ast, quia omnis partus monstruosus est imperfetus, (§. 38.) ideo iudicamus, quod partus monstruosus omnino sit legitimus, quando nempe requisita ad partum legitimum necessaria simul locum obtinent. (§. 66.)

SECT. VIII.

D E M O L I S.

§. 70.

Sub mola vera intelligimus tale corpus solidum molle, in vtero materno haerens, vel ex vtero exclusum, quod est ouum deformis, in quo partes embryonis atque secundinorum accurate distingui nequeunt.

§. 71.

Interdum talis mola vna cum foetu in vtero latet, imo  
D 2 inter-

interdum in cauo eiusmodi oui (§. praec.) foetus minoris magnitudinis deprehenditur, (per experient.) vnde sequitur, omnem molam veram coitum praegressum supponere. Quodsi itaque femina de mola suspecta redditur, cui tamen coire cum viro non fuit licitum, tunc omni iure eius de castitate dubitari potest.

## C A P. IV. DE VIRGINITATE

§. 72.

**S**ub virgine in sensu lato intelligimus talem feminam, quae non solum coitum nondum est passa, verum etiam in qua adest organorum genitalium integritas naturalis. Diuidimus hinc virgines in Morales, phylicas, atque integerrimas. Moralis audit, quae coitum cum viro nondum celebrauit; physica nominatur, quando organa sua genitalia, adhuc integra habet; integerrima nuncupatur, quando est et virgo physica et moralis simul. Patet hinc simul, quid sit virginitas, et quotuplex ea.

§. 73.

Signa ergo Virginitatis triplicis sunt generis:

- 1) ea quae indicant virginitatis integerrimae præsentiam;
- 2) ea, quae indicant virginitatem physicam esse præseniem;
- 3) ea, quae declarant virginitatem moralem esse præsentem.

§. 74.

Signa virginitatis integerrimae præsentiam declarantia sunt:

1) labia

- 1) labia vuluae magis tumida, magisque connuentia;
- 2) nymphae minores, colore magis diluto roseo praeditae,  
et finu non prominentes;
- 3) praeputium clitoridis minus, glandem non obtegens;
- 4) orificium vrethrae penitus tectum;
- 5) rugae vaginae vteri magis tumentes;
- 6) frenulum labiorum vuluae praesens;
- 7) hymen praesens, sub quo intelligitur ista membrana  
tenuis, tensa, ad introitum vaginae vteri sita, figuram  
habens modo oualem, modo circularem, modo semi-  
lunarem, atque quoad magnam partem introitum va-  
ginæ occludens. Est hic hymen palmarium virginini-  
tatis integerrimæ signum, quando
  - a) ordinariam suam habet constitutionem;
  - b) talis puella vel femina non habet duplicem va-  
ginam.

## §. 75.

Signa virginitatis physicae praesentiam indicantia  
(& 73. no. 2.) ex dictis (§. praec:) patent.

## §. 76.

Signa virginitatis moralis praesentiam (& 73. no. 3)  
manifestantia sunt:

- 1) enarrata §pho praecedente, in primis hymen praesens  
rite constitutus;
- 2) primus congressus, quando est dolorosus et cum pro-  
fusione sanguinis coniunctus. Quid? quod virginita-

D 3

tem

tem moralem adesse etiam concludere possumus ex absentia eiusmodi signorum, ex quibus cognosci potest, pueram coitum cum viro celebrasse, quae signa haec sunt:

- a) labia vulvae magis flaccida, minus connuentia;
- b) clitoris magis eminens simulque habens praeputium glandem plenarie obtegens;
- c) nymphae magis prominentes, nec non colore magis obscuro gaudentes;
- d) orificio vrethrae magis apertum;
- e) hymen deficiens;
- f) carunculae myrtiformes, ad introitum vaginae sitae;
- g) vagina vteri magis ampla;
- h) rugae vaginae minus prominentes;
- i) orificio vteri vaginae vterinae orificio magis proprius.

§. 77.

Quemadmodum vero hymenis praesentia non est semper virginitatis integerrimae signum infallibile, quia etiam puellae hymene gaudentes in utero recipere possunt, (per experientia ita etiam absentia hymenis non est semper indicium virginitatis moralis amissae certissimum, plures enim dantur causae, quae hoc signum virginitatis physicum destruere possunt, salua manente virginitate morali (§. 72.) Quales hae causae sint, allegavit Roederer in Elementis artis obstetriciae. §. 122.

§. 78.



## VIRGINITAS.

31

### §. 78.

Ab aliis auctoribus quidem adhuc alia virginitatis signa recensentur, quae fusius exposita leguntur in Schurigii *Parthenologia* p. 275. Sed nullius sunt momenti, imo plane ridicula.

### §. 79.

Quodsi itaque in foro de virginitate imprimis morali vel absente, vel praesente (§. 72.) quaeritur, nihil certi determinari potest, nisi fiat ventris inspectio, quam iudices medicis satis peritis committant, est necesse. Romani quidem iuxta Tit. Pand. de ventre inspectando, nec non constitutio criminalis Caroli V. volunt, ut ad talem inuestigationem admittantur obstetrices, ast cum hae ut plurimum sint admodum imperitiae, satius est, si medicis talis inuestigatione committitur.

### §. 80.

Vt hinc medicus accurate in foro deponere possit de virginitate praesente vel absente, necesse est, ut, quando inspectionem ventris suscipit (§. praec.)

- 1) genitalia puellae aqua tepida ablauat;
- 2) singulas partes genitales externas accurate examinet, simulque ad ea
- 3) quae dicta sunt (§. 73. 74. et 76.) probe reflectat.

### §. 81.

Ex his dictis simul ex parte liquet solutio sequentium problematum (§. 72. seq.:) an virgo dormiens inscia possit corrumpi atque impregnari? an virgo inebriata deforesce-

re

ro possit? an virgo opato stupefacta impregnari possit? an virgo integerrima ex primo coitu possit concipere?

## C A P V T V.

DE SIGNIS, QVAE INDICANT, QVOD  
FEMINA QVAEDAM PARTVM  
EDIDERIT.

§. 82.

Sunt haec signa duplicis generis:

- 1) ea, quae indicant quod femina partum perfectum ediderit;
- 2) ea, quae manifestant, feminam abortum fuisse passam.

§. 83.

Signa, quae declarant, quod femina partum perfectum ediderit, iterum duplicis sunt generis:

- a) ea, quae indicant, quod femina de recenti pepererit;
- b) ea, quae demonstrant, quod femina olim pepererit.

§. 84.

Ista femina, quae de recenti perperit, vel adhuc est viua, vel iam est mortua. Si prius, optima signa, ex quibus dignoscitur, eam de recenti peperisse, sunt:

- 1) tumor partium genitalium externarum praesens;
- 2) dilatatio vaginae vteri extraordinaria;
- 3) fluxus

SIGNA INDICANTIA FEMINAM PEPERISSE. 53

- 3) fluxus lochiorum praesens;
- 4) orificium vtrinum magis molle atque apertum;
- 5) abdominis rugositas atque flacciditas;
- 6) mammae magis tumentes;
- 7) lac in mammis praesens;
- 8) papillae mammarum magis crassae, discumque magis latum habentes.

Quodsi vero posterius, tunc optima signa sunt:

- a) recensita num. 1. 2. 3. sequ.
- b) uterus magis expansus.

§. 85.

Ista vero signa quae indicant, feminam olim peperisse foetum perfectum (§. 83. n. 2.) sunt:

- 1) Signa virginitatem amissam declarantia (§. 76.) praesentia;
- 2) orificium vterinum figura conica destitutum, magisque apertum;
- 3) inaequalitas marginum labiorum orificii vterini;
- 4) rugositas abdominis, nec non abdomen expansum magisque propendens;
- 5) lineolae albantes et splendentes abdominis;
- 6) absentia frenuli labiorum vuluae;
- 7) mammae magis pendulae atque flaccidae;
- 8) lineolae mammarum magis albantes et splendentes;

Elem. Med. Forens.

E

9) color

- 9) color areolae mammae magis subfuscus;
- 10) papillae mammarum magis prominentes;
- 11) prominentia partis superioris tunicae internae vaginæ vteri;
- 12) inuersio vteri praesens.

## §. 86.

Ea signa, ex quibus perspicitur, feminam abortum esse passam, (§. 82. n. 2.) diuersi sunt generis. Alia sunt ea, ex quibus adparet, abortum editum fuisse iuniorem, et alia sunt ea, quae indicant, abortum fuisse grandiorem,

## §. 87.

Ista signa, quae manifestant, abortum fuisse grandiorrem sunt ea, quae recensita sunt (§. 85.) Signa vero, ex quibus patet, abortum fuisse iuniorem, certa non habemus, probabilita vero sunt:

- a) signa virginitatis amissae. (§. 76.)
- b) fluxus mensium dolorificus, qui tamen ante talis non fuit.

## §. 88.

Semper ergo fieri debet accurata ventris inspectio, quando quaeritur, an femina partum ediderit. Talem inspectionem etiam praecipiunt leges, vt patet ex Artic. xxxv. Constat. Criminal. Caroli V. Quia vero saepe tale examen summa cum prudentia atque circumspectione est suscipendum, necesse est, vt iudices talem inuestigationem medicis satis peritis, neutiquam vero obstetricibus, committant.

## CAPVT

## C A P. VI.

## DE AETATVM DIVISIONE.

§. 89.

**O**mne istud tempus, per quod homo natus suam continuat existentiam, vocatur aetas in sensu lato, pars vero huius temporis seorsim considerata appellatur aetas in sensu strictio, et haec iterum diuiditur in infantilem, puerilem, iuuenilem, virilem atque senilem.

§. 90.

Istud vitae tempus, quod incipit a natuitate et sese extendit usque ad anni septimi complementum, vocatur aetas infantilis. Tales infantes nec loquelae, nec rationis vsu gaudent, et hinc omnis actionum imputatio in ipsis cadit.

§. 91.

Istud vitae tempus, quod incipit ab anno septimo et sese extendit usque ad annum duodecimum vel decimum quartum, vocatur aetas puerilis. Fit hac in aetate dentitio secunda et omnes actus ab ipsis editi etiam non sunt validi.

§. 92.

Sub aetate iuuenili vel pubertate intelligitur istud vitae tempus, quod incipit ab anno decimo quarto in masculis, et in femellis ab anno duodecimo iuxta titul: xxii. Lib. I. Institutionum, et sese extendit usque ad annum vicefimum primum vel vicefimum quintum. In hac aetate in sexu nobiliori fit feminis secretio, in sexu sequiori vero fluxus catameniorum; corpora ad debitam euehuntur proceritatem, notabilisque morum mutatio simul obseruatur.

E 2

§. 93.

## §. 93.

Istud vitae tempus, quod incipit ab anno vicesimo primo iuxta iura Saxonica, vel vicesimo quinto iuxta ius ciuile et sese extendit in feminis vsque ad annum quadragesimum nonum, in masculis vero ad sexagesimum, vocatur aetas virilis. Cum hac aetate incipimus fieri nostri iuris et ad negotia obeunda maxime habiles, definit incrementum corporis ratione longitudinis, incipit vero incrementum ratione crassitudinis.

## §. 94.

Istud vitae tempus, quod incipit ab anno quinquagesimo vel sexagesimo et sese extendit vsque mortem, vocatur senectus (§. 89.). In hac aetate fit corporis decrementum, vires corporis non solum cessant, verum etiam animus suum amittit vigorem, sensus imminentur, capilli canescunt, cutis fit rugosa, rigiditas articulorum accedit. Habet hinc haec aetas singularia sua priuilegia.

## C A P V T VII.

## DE MORBIS FICTIS ATQVE CELATIS.

## §. 95.

**V**arias ob causas ab hominibus in foro singuntur morbi, modo propter timorem, modo propter verecundiam, modo propter lucrum. Medici ergo promoti et iuramento obstricti imo et interdum chirurgi publica auctoritate constituti et iuramento obstricti, testimonium est necessarium, quando iudex tali in casu iustitiam satis accurate administrare vult.

## §. 96.

## §. 96.

Morbum quendam adesse concludit medicus ex praesentia signorum ipsius existentiam declarantium, quae ista pars medicinae, quae vocatur Semiotica, proponit. Quod si hinc in foro Medico est determinandum, num morbus quidam sit fictus, nec ne? examinet necesse est, vtrum inueniat ista signa, qui morbo isti, qui adesse dicitur, competit, an minus. Si posterius, morbus erit fictus; si vero prius, morbus reuera praesens.

## §. 97.

Quia vero non in quolibet casu, vbi in foro de morbo ficto quaeritur, medicus statim certi quid definire potest; singuntur enim saepe eiusmodi morbi, vbi detectio fraudis multum requirit labbris; hinc tali in re maxima medici cautio requiritur. Ut hinc fraus eo facilius detegi possit, ad sequentia dum examen iustituitur, est respiciendum:

- 1) omnia phaenomena, quae in tali subiecto adparent, vna cum iis, quae vel ab aegro, vel ab adstantibus enarrantur, probe sunt ponderanda;
- 2) ratio est habenda vrinac, pulsus, aetatis, dispositionis haereditariae, vitae generis, personae conditionis, subiecti morbi cet.
- 3) quaestiones, ad quas aegrotus vel adstantes responde-re debent, ita sunt efformandae, vt ipsos confundant;
- 4) talis aegrotus non semel, sed aliquoties et quidem ex improposito est visitandus;
- 5) indagandum est, an tales causae, quae morbum, qui adesse dicitur, generare possunt, certo praeiuerint.

## §. 98.

Vt itaque medici officium tali in casu clarissime patescat, potiores morbos, qui ita se habent, vt facili negotio non possit detegi, vtrum sint facti, an vero non, enarrare, simulque ea addere volumus, ad quae medicus attendere debet, vt eo certius fraudem detegere magisque exactam iudici depositionem efformare possit.

## §. 99.

Potiores hi morbi sunt epilepsia, melancholia, demenia, obsessio, incantatio seu morbus a fascino.

## §. 100.

Epilepsiam esse factam, Medicus certo affirmare potest, vbi, quando paroxismus accedit,

- 1) talis aegrotus subito non prosternitur;
- 2) facies non est liuida, labiaque non pallida, nullaque alia faciei mutatio quoad colorem et lineamenta obseruatur;
- 3) talis aeger a medicamentis sternutatoriis naribus, vel carbonibus carentibus digitis manus ad�licatis statim adficitur;
- 4) vngues liuore non sunt suffusi;
- 5) pulsus a statu fano non recedit;
- 6) insimul paroxismus in fine suo non habet somnum sat profundum, ac tandem superato paroxismo aegrotus
- 7) non conqueritur de hebetatione sensuum, obliuione, vertigine, debilitate atque siti.

## §. 101.

## §. 101.

Melancholiam esse fictam medicus certo afferere potest, vbi inuenit, quod

- 1) humores eiusmodi subiecti nulla scateant cacochymia atrabilaria, adeoque quod nullae causae, quae tales morbum generare possunt, praecurrerint;
- 2) quod tale subiectum non insaniat cum tristitia atque meticulositate;
- 3) quod vni eidemque cogitationi non inhaereat pertinacissime aegrotus, veri enim melancholici circa unam ideam delirant tantum, in caeteris sapiunt;
- 4) quod tale subiectum nullum habeat corporis habitum macilentum, faciem non morosam nullosque oculos excavatos, retractos, fixatos, insimulque frigus atque inediā tolerare non possit;
- 5) quod morbus non successiue, sed subito sit ortus;
- 6) quod aeger facile moueatur a purgantibus atque vomitoriis lenioribus;
- 7) quod somnus satis largus adsit, aegerque solitudinem non amet.

## §. 102.

Dementiam (§. 99.) esse fictam, concludere potest medicus, vbi vider, quod talis homo adhuc aliqualem rationis usum habeat. Reuera enim amentes non sunt audaces, vt maniaci, nec tristes et meditabundi, vt melancholici, sed confuse loquuntur, omnia perinde negligunt, modo rident, mode cantant et instar puerorum nugis ludicris delectantur.

## §. 103.

Veram hodie obsessionem dari (§. 99.) merito dubitamus.

mus. Quodsi ergo in foro de obsessione quaeritur, tunc vel plane nullus adest morbus, sed malitia talē singit, vel si actu adest, ortum suum causis physicis, debet. Experiētia enim testatur, quod cause physicae etiam tales possint generare morbos, qui talia exhibit phœnomena v. g. gestuum deformations, horrendas vociferationes cet. qualia sunt ista, quae ab iis, qui veram obsessionem statuant, tanquam signa obsessionis indubitate allegantur.

## §. 104.

Sub incantatione (§. 99.) intelligimus talē morbum, qui a friuolo quodam homine nefando quodam artificio in alio fuit productus. Quod incantamenta dentur, negari non potest, interim tamen est certum, quod hodie plurimi isti morbi, de quibus afferuntur, quod ab incantamento sunt exorti, etiam vel sunt facti, vel ortum suum trahant a causis physicis.

## §. 105.

Quod ad morbos celatos attinet, hi ut plurimum celantur ab hominibus, vt vel damnum imminens auertant, vel ut commodi cuiusdam fiant participes. Sunt hi morbi varii, potissimum vero celantur ita dicti morbi contagiosi.

## §. 106.

Iudicis ergo officium tali in casu est, vt medici relationem in auxilium vocet. Quapropter, vt haec exacte fiat, necesse est, vt medicus probe attendat ad dicta (§. 96.)

SECT.

S E C T. II.

DE IIS DOGMATIBVS QVAE MEDICO  
SCITV NECESSARIA, VBI IPSI EST  
DEPONENDVM IN FORO  
CRIMINALI.

C A P. I.

DE INSPECTIONE CADAVERVUM  
LEGALI.  
§. 107.

Vt haec doctrina fatis accurate possit exponi, sequentia  
enucleanda funt:

- 1) quid et quotuplex inspectio cadauerum legalis sit;
- 2) in quibusnam casibus ea instituenda;
- 3) quaenam personae ad eiusmodi inspectionem iudicia-  
lem necessariae;
- 4) an ea sit absolute necessaria;
- 5) quaenam sint obseruanda, dum instituitur;
- 6) quid ea peracta adhuc sit agendum.

§. 108.

Inspectio cadaueris legalis (§. praec. n. 1.) est iste  
actus iudicialis, quo praesentibus iudice actuario et scabi-  
nis a medico vel solo, vel vna cum chirurgo, vel etiam  
interdum pluribus medicis et chirurgis mortui hominis ca-  
dauer accurate disquiritur, eum in finem, vt patescat vera  
causa mortis immediata,

ELEM. MED. FORENS.

F

§. 109.

## §. 109.

Dum talis fit inspectio legalis vel superficies cadaveris externa tantum disquiritur, vel etiam simul partium interne haerentium disquisitio instituitur. In priori casu audit inspectio legalis stricte sic dicta; in posteriori autem scectio legalis vel iudicialis.

## §. 110.

Ista res corporea, ex qua certitudo criminis cuiusdam commissi adparet, vocatur corpus delicti in sensu medico. Hoc est duplex, materiale atque formale. Materiale dicitur, quando res corporea est corpus, in quo facinus fuit perpetratum; formale salutatur istud instrumentum, cuius ope facinus fuit commissum.

## §. 111.

Omnis ergo inspectio legalis (§. 108.) eum in finem instituitur potissimum, ut corpus delicti et materiale et formale rite declarari queat (§. 110.)

## §. 112.

Legaliter vero inspiciendi (§. 207. n. 2.)

- 1) omnes qui insolito et incognito mortis genere moriuntur;
- 2) qui in viis publicis vel aliis in locis mortui reperiuntur;
- 3) qui post acceptam quandam violentiam moriuntur, alias enim nihil certi ratione poenae delinquentis determinari potest;
- 4) qui ex aquis extrahuntur mortui;
- 5) qui autochiri fuisse creduntur, vel qui re vera tales fuere.
- 5) qui

6) qui a medicastris fuere curati, imprimis si negligenteriae in curando signa adpareant.

§. 113.

Personae quae, ut inspectio legalis cadaueris, imprimis ex laesione quadam accepta mortui, habeat suum valorem, sunt necessariae secundum leges, vti patet ex C. C. C. Art. cxi sequentes sunt, iudex, actuarius, duo scabini, medicus atque chirurgus (§. 107. n. 3.)

§. 114.

Prima persona ad inspectionem necessaria, est iudex, et quidem iste, cui competit iurisdictio criminalis. Hoc enim absente totus actus ordinarie est incompletus, hic enim requiritur, quo secantes habeant testes fide dignos. Interim tamen interdum certis sub conditionibus inspectio absente iudice facta, valorem quoque habere potest.

§. 115.

Altera persona ad inspectionem cadaueris legalem necessaria est actuarius (§. 113.) Hic est necessarius, ut omnia, quae durante inspectione reperiuntur atque obseruantur, fideliter consignet, quae consignatio ab ipso facta, Registratura nominatur.

§. 116.

Duo Scabini ad inspectionem cadaueris legalem (§. 113.) ideo sunt necessarii, quia iudex absque Scabinis iudicium constituere non potest. Necesse vero est, ut tales scabini iuramento sint obstricti, alias inspectio talis iudicialis est illegalis.

F 2

§. 117.

## §. 117.

Medicus ad inspectionem cadaveris potissimum est necessarius (§. 113.) quia hic vnicē, facta accurata inspectio ne legali, rite diuidicare potest, quaenam fuerit vera mortis causa. (§. 108.)

## §. 118.

Volunt autem leges, ut medicus qui peragit inspectio nem cadaveris legalem, non solum habeat requisita supra recensita (§. 3. n. 2.), verum etiam ut a iudice hunc ad actum inspectionis specialiter sit requisitus, insimulque peritia anatomica satis solide sit instructus. Ceterum medici officium est in tali actu, ut omnia, quae in ipsa inspectio ne obseruantur, iudici, actuario atque scabinis accurate ante oculos ponat, simulque attendat, ut obseruata ab actuario rite consignentur, quo Registratura fiat magis accurata.

## §. 119.

Chirurgus ad inspectionem cadaveris est necessarius partim ut sub directione medici cadaver fecet, si nempe artis anatomiae sit satis peritus, atque res minus ardua definienda, alias enim ipse medicus sectionem peragere debet, partim ut manus auxiliatrices secanti medico porrige re queat.

## §. 120.

Quaestionem num sectio et inspectio cadaverum omnibus in casibus contingentibus sit necessaria, (§. 107. 4.) paucis ita decidimus: Inspectio cadaveris legalis stricte dicta semper est necessaria (§. 109. et 111.) sectio autem tunc tantum legalis est necessaria, vbi facta inspectione vera causa mortis immediata nondum satis luculenter adpareat.

## §. 121.

§. 121.

Ea, quae obseruanda sunt, dum ipsa sit inspectio  
§. 107. n. s.) sequentia sunt:

- 1) Fieri debet talis inspectio satis tempestiuē, tempore diurno, loco apto, aptisque instrumentis;
- 2) Semper antequam sectio legalis fit, (§. 109.) instituenda est inspectio cadaueris legalis stricte sic dicta seu externa corporis perlustratio. Quodsi enim hac facta, vera mortis causa cognita est, sectio legalis omitti potest. Sic v. g. sufficit inspectio legalis stricte sic dicta, vbi adparet, quempiam fuisse mortuum ex suffocatione, quam produxerunt vapores minerales sulphurei, vapores cereuifiae recentis, musti fermentantis, carbonum fumus, vel vbi adparet, quod quis fulmine ictus mortuus sit.
- 3) Dum fit inspectio stricte sic dicta, ad sequentia quam maxime mentis acies est dirigenda:
  - a) tota superficies externa a capite usque ad calcem accurate est perlustranda, omniaque ea, quae a statu naturali recedunt, probe annotanda, potissimum vero attendendum est, an inueniantur in superficie corporis:
    - a) fugillationes seu tales maculae, quae dependent a sanguine in vasibus alienis haerente;
    - b) ecchymoses seu tales maculae, quae dependent a sanguine extravasato in tunica adiposa stagnante, vel etiam sub pericranio;
    - c) aliae maculae cutaneae;
    - d) tumores, solutae vnitates aliaeque laesiones, vt luxationes.
    - e) signa putredinis praesentis.

F 3

Quodsi

Quodsi fugillationes vel ecchymoses animaduertantur, ipsarum locus, figura, magnitudo, numerus probe annotari debent. Et hoc etiam valet de aliis maculis aliquisque solutis vnitatibus vel laesioribus; quodsi vero tumores occurront, primo examinandum, vtrum ortum suum debeant violentiae cuidam, an vero ab alio morbo originem trahant, dein ipsorum locus, magnitudo cetr. assignari debent. Tandem si quoque signa putredinis obseruantur, quae sunt

- 1) vesicae flavo vel luteo liquore replete;
- 2) cuticula a subiecta cute separata;
- 3) liuor ac nigredo cutis;
- 4) foetor totius corporis;
- 5) intumescentia totius cadaueris;
- 6) liuor ac nigredo totius scroti in maribus;
- 7) vngues nigrecantes: tunc annotandum est, an passim in corpore, an in quadam tantum parte, quae simul est determinanda, obseruentur.
- b) quando vnum vel plura vulnera in conspectum veniunt, nec stilus nec aliud instrumentum laedens ipsis est immittendus;
- c) probe est attendendum, an ex cadauere et quidem vel ex vulnera, vel ex alia quadam apertura v. g. ore, ano cetr. materia quaedam v. g. sanguis, vrina, meconium effluxerint;
- d) examinandus est cadaueris habitus, vtrum sit macilentus, an vero obesus vel tumidus.
- 4) Dum sectio legalis (§. 109.) suscipitur, sequentes causae sunt obseruandae:
- 1) integumenta corporis et communia et propria iis in locis, quibus laesiones adsunt, successiue perquirantur simulque omnes partes suppositae laesae v. g. musculi

musculi indicentur, vt sic aditus ad partes internas magis pateat;

2) omnes tres corporis cavitates cardinales semper sunt aperiendae;

3) ab ea cavitate est incipiendum, in quam instrumentum laedens quam maxime penetravit;

4) partes circa vulnus inflictum haerentes non sunt discindendae antequam laesione progressus accurate sit detectus;

5) quodlibet viscus in cavitate haerens probe est examinandum:

a) ratione situs, an ordinarius, nec ne;

b) ratione connexionis;

c) ratione constitutionis, vtrum naturalis, nec ne;

d) ratione laesione, si talis reperitur, vbi in primis accurate inuestigari debent laesione longitudo, latitudo, profunditas atque locus.

6) accurate inquirendum, an in cavitate, quae fuit aperta, haereant corpora peregrina vel solida vel fluida. Si sunt fluida, ipsorum natura atque quantitas est determinanda; si vero sunt solida, ipsorum qualitas, numerus, quantitas, figura, locus, vbi fuerent reperta, accurate assignari debent;

7) omnia vasa sanguifera maiora in quavis cavitate haerentia rite sunt examinanda, num integra, nec ne; num sanguine repleta, nec ne;

8) et hoc certo respectu etiam valet de nervis nobilioribus, ductu thoracio, capsula chyli cet.

9) antequam capitis cauum aperitur separatis integrimentis communibus, accurate perquirendum est, an adsit quaedam laesio in uno vel altero caluariae osse

vt

- vt v. g. fractura, fissura, intropressio cet. Quodsi enim talis deprehenditur, probe annotari debent locus, magnitudo, profunditas, numerus, figura cet.
- 10) vbi sit apertio cranii, caluaria admodum caute serra est auferenda;
- 11) vbi cerebrum examinatur, ratio potissimum est habenda substantiae, vasorum, an sanguine repleta, an vero collapsa, sinuum durae matris, ventriculorum, an in iis fluidum sensibile, quale, et in quanam quantitate, baseos caluariae, an in ea corpus peregrinum et quale, crassitie ossium caluariae, an haec ordinaria vel extraordinaria;
- 12) vbi pectus aperitur, sternum a costis caute est separandum, ne arteriae vel venae subclaviae alias que vasa laedantur;
- 13) vbi vulnus est thoracicum, quod in latere penetravit, tunc non solum determinari debent istae costae, inter quas penetravit vulnus, verum etiam simul addi debet, num principium numerationis factum sit a costa prima vera, an vero a costa ultima spuria;
- 14) vbi cor examinatur, simul attendendum est, an occurrant in ipsius cauis vel in eius vasis maioribus concretiones polyposae;
- 15) vbi rupturae viscerum in sectionis actu deprehenduntur, probe est inuestigandum, vtrum sint recentes, an vero gangraenosae;
- 16) vbi ista viscera abdominalia examini subiiciuntur, quae constant ex cavitatibus, semper simul est inquirendum in harum cavitatum contenta,

## §. 122.

Inspectione ad finem perducta (§. 107. n. 6.) duo sunt peragenda:

- 1) registratura in actu inspectionis consignata a iudice, actuario, scabinis, medico atque chirurgo, subscriptione est confirmanda;
- 2) ita dictum visum repertum (*Obductions Schein*) a medico est exarandum, ac postmodum ab ipso atque chirurgo subscribendum, appressis simul sigillis consuetis, atque tandem ad acta est tradendum.

## §. 123.

Intelligimus autem sub viso reperto relationem medici literis expressam (§. 1.) de causa vera mortis immediata cadaveris, cuius inspectio legalis fuit facta. Hoc iudicium, quod medicus fert de causa immediata mortis cadaveris, vel ita se habet, ut actu eam, determinet, vel non. In posteriori casu vocatur iudicium suspensuum, in priori vero posituum. Omne ergo visum repertum vel est posituum, vel suspensuum.

## §. 124.

Quando ergo medicus magis accuratum concinnare vult visum repertum, (§ 122. no. 2.) ad duo semper ipsi est respiciendum, nempe ad formalia atque materialia.

## §. 125.

Ad formalia pertinent:

- 1) ea, quae constituant relationis medicae initium. Haec sunt determinatio factae requisitionis a iudice, personarum, quae tempore inspectionis fuere praesentes, nominis, aetatis, sexus imo et interdum temperamen.

ELEM. MED. FORENS.

G

ti

ti cadaueris, nec non temporis, quo inspectio fuit instituta;

2) ea, ex quibus medicus suum deducit iudicium vel posituum, vel suspensum (§. 123.), quae duplicis sunt generis:

a) omnia ea, quae in actu inspectionis fuere reperta atque obseruata, vbi simul notandum, quod medicus quoquis modo cauere debeat, ne, dum talia reperita recenset, quaedam in medium proferat, quorum nulla est facta mentio in consignata registratura; (§. 115.) haec enim potissimum fundamenti loco est ponenda, dum ita dictum visum repertum concipitur;

b) certae quaedam circumstantiae, ad quas saepe simul medico est reflectendum, ut magis accuratum efformare possit iudicium. Hae sunt constitutio naturalis, vel praeternaturalis occisi ante et post laesio nem factam; instrumentum, quo laesus fuit vulneratus; tempus mortis atque laesisionis; symptomata, sub quibus laesus vitam cum morte commutauit; locus, vbi laesus post acceptam violentiam procedit; methodus medendi, qua usus est medicus vel chirurgus; symptomata, quae mox post laesionem in conspectum venere; tempus, quo medicus vel chirurgus in auxilium fuere vocati; situs, quem habuit vulneratus, dum vulnus accepit; diaeta ante et post laesionem acceptam a vulnerato obseruata; animi pathema, quod tempore laesisionis in laeso adfuit, status ebrietatis, qui obseruatus fuit tempore laesiosis in vulnerato ceteris.

### §. 126.

Materialia in viso reperto (§. 125.) constituit ipsum iudi-

iudicium, quod medicus de causis mortis immediata cadaueris legaliter inspe&ti fert, (§. 123.) siue sit posituum, siue suspensuum (§. cit.). Imprimis optime agit medicus, quando tantum efformat iudicium suspensuum, posituum vero collegio medico relinquit, vbi animaduerit, quod data, (§. 125. no. 2.) quippe ex quibus ipsi est concludendum, non sint ita comparata, vt certi quid ratione causae mortis immediatae cadaueris ex ipsis deducere possit.

## C A P. II. DE HOMICIDIIS.

### SECT I. DE VENEFICIIS.

§. 127.

**V**enenum in sensu lato sumtum est tale corpus, quod corpori animali applicatum eius sanitatem laedit, et quidem ex vi propria, qua gaudet. Quid ergo veneficium sit, statim intelligitur.

§. 128.

Viae, per quas venenum in corpus animale, potissimum humanum, venire potest, sunt os, summa cutis atque aspera arteria.

§. 129.

Sanitas supponit constitutionem naturalem partium et solidarum et fluidarum corporis animalis. (per princ. med). Omne ergo venenum (§. 127.) constitutionem naturalem partium, vel solidarum vel fluidarum, vel solidarum atque fluidarum simul

simul commutare debet in praeter naturalem, unde modus agendi generalis cuiuslibet veneni patet.

S. 130.

Varia autem modo teste experientia possunt corpora, quae corpori animali applicantur, constitutionem naturalem partium ita mutare, ut fiat praeter naturalis, nimirum:

- 1) agunt ut acria, et hinc vel partes solidas constringunt, erodunt, vel fluidas partes modo coagulant, modo nimis resoluunt;
- 2) quando vim stupefacientem possident;
- 3) quando figura quadam acuta gaudent;
- 4) quando suffocationem inferre valent;
- 5) quando agunt ut acria et viscida simul;
- 6) quando agunt, ut inspissantia et exsiccantia;
- 7) quando agunt modo nobis adhuc incognito. Et sic intelligitur modus agendi omnium venenorum specialis.

S. 131.

Omnis ergo corpus corpori animali applicatum, agere potest ut venenum, ubi posidet tales qualitates, quae constitutionem partium naturalem in praeter naturalem commutare valent. Quia vero tale corpus tunc demum constitutionem naturalem partium commutare potest actu in praeter naturalem, quando in determinata satis quantitate applicatur; producit enim effectum determinatum, ideoque etiam ut causa sit determinata, consequens est necessarium; hinc sequitur, omne corpus corpori animali applicatum agere ut venenum, quando non solum habet tales qualitates, quae constitutionem partium naturalem mutare possunt in praeter naturalem, verum etiam quando simul in factis

tis sufficienti quantitate adplicatur. Quodsi hinc medico di-  
judicandum est, vtrum corpus quoddam corpori animali ad-  
plicatum egerit vt venenum, tunc necesse est, vt respiciat  
partim ad qualitates, quibus tale corpus gaudet, partim ad  
quantitatem, sub qua tale corpus adplicatum fuit corpori  
animali.

## §. 132.

Dividi possunt venena (§. 127.) vel ratione effectus,  
quem respectu sanitatis producunt in corpore, vel ratione  
modi agendi, vel ratione originis.

## §. 133.

Ratione effectus venena omnia sunt vel proprie talia,  
vel improprie talia. Proprie talia venena, quae etiam vo-  
cantur mortalia, lethifera, venena stricte sic dicta, sunt,  
quae sanitatem perfecte tollunt, i. e. quae sanitatem ita lae-  
dunt, vt mors consequens sit necessarium; venena impro-  
prie talia seu non mortalia salutantur, quae sanitatem per-  
fecte non tollunt, adeoque mortem non inferunt.

## §. 134.

Venena mortalia seu stricte dicta (§. praec.) iterum  
sunt vel acuta seu velocia, vel chronica seu temporaria item  
terminata. Acuta dicuntur, quando inferunt mortem ci-  
tam; quando vero mortem lentam producunt, appellantur  
chronica.

## §. 135.

Ad venena non mortalia (§. 133.) pertinent ita dicta  
vina adulterata, philters seu venena amatoria, venena abor-  
tuua, venena sterilitatem vel impotentiam inducentia.

## G 3

## §. 136.

## §. 136.

Ratione modi agendi (§. 130. et 132.) venena sunt:

- 1) vel acria seu corrosiua, quando nempe agunt tamquam corpora acria, et haec iterum sunt vel acida, vel alcalica, vel acria mixta seu draſtica;
- 2) vel narcotica, quando nempe agunt stupefaciendo;
- 3) vel suffocatiua, quando agunt suffocando;
- 4) vel mechanica, quando agunt ob figuram suam acutam, quam habent;
- 5) vel viscida acria, quand agunt partim ut viscida, partim quoque ut acria;
- 6) vel inspissantia, item exſiccantia, quando agunt inspissando vel exſiccando;
- 7) vel heteroclita, quando agunt ob qualitates, quae nos adhuc latent.

## §. 137.

Ratione originis (§. 132.) venena diuiduntur in naturalia atque artefacta. Naturalia iterum diuiduntur in vegetabilia, animalia atque mineralia.

## §. 138.

Ad venena corrosiua acida pertinent (§. 136. no. 1.) omnia acidam mineralia, ut spiritus salis, nitri, vitrioli, aqua fortis, aqua regis, oleum vitrioli, spiritus fulphuris, aluminiis.

## §. 139.

Ad venena acria alcalica (§. 136. 1) referri possunt ſeria ita dicta cauſtica, oua, humores, caro omnino putrefacta, miasma pestilentele aliorumque morborum contagiosorum.

## §. 140.

## §. 140.

Venena acria mixta (§. 136. no. 1.) sunt:

- 1) metalla cum salibus mineralibus acidis vnta v. g. foliatio auri, argenti, lapis infernalis, butirum antimoni, mercurius sublimatus, praecipitatus ruber, albus, viridis, dulcis non rite praeparatus;
- 2) cobaltum, arsenicum citrinum, rubrum, album, sublimatum, auripigmentum factitium, realgar, lapis lazuli, armenus;
- 3) aconita, anacardium, anemone, apium risus, apocynum, arum, azedarach, cataputia, chamaeleon, clematitis, colchicum, corona imperialis, cyclaminum, draconium, esula, elaterium, euphorbium, helleborus albus, niger, viridis, laureola, mezeraeum, napellus, nigella filuestris, oleander, ricinus, scammonium, tithymalus, thapsia;
- 4) cuprum sive aes, aerugo, vitrum antimonii, regulus antimonii, hepar antimonii, flores antimonii, crocus antimonii, calx aeris vita.

## §. 141.

Venena stupefacentia sunt (§. 136. no. 2.) belladonna, cassava amara seu iatropa, cicutaria maculata, cicutaria aquatica Gesneri, cicutaria palustris, datura seu stramoneum, doronicum, hyoscyamus, lolium, nux vomica, laurocerasus, oenanthe, poma amoris, solanum cetr.

## §. 142.

Venena suffocativa (§. 136. no. 3.) sunt vapor musti et cerevisiae fermentantis, fumus sulphuris, carbonum accessorum in loco clauso, aer subterraneus diu reclusus, pulueres

ueres farinosi subtilissimi in ære haerentes, imo et certo respectu ipse æter, vapor lithanthracum cetr.

S. 143.

Venena mechanica potiora sunt (§. 136. no. 4.) spicula adamantis, vitri, crystalli montanae, aluminis plumosi, limaturaæ aeris cetr.

§. 144.

Venena viscidæ acria (§. 136. no. 5.) sunt cicuta maior, minor petroselino similis, datura, hyoscyamus, opium, nux vomica, oenanthe, solanum, belladonna, crocus cetr.

§. 145.

Venena inspissantia et exsiccantia (§. 136. no. 6.) sunt calx viua, gypsum, minera saturni, cerussa, minium, lithargyrium aliaeque plumbi calces, cinis stanni viti, semen psyllii, spongia cynosbati, varii fungi, agaricus, viscum cetr.

§. 146.

Ad venena heteroclitæ (§. 136. no. 7.) pertinent aranea, cantharides, tarantula, aspis, vipera, cerasiter, prester, spes, scorpius, bufo, canis rabidus, buprestis, stellio, salamandra, lepus marinus, pastinaca marina cetr.

S. 147.

Effectus quos venenum in corpore animali, cui fuit applicatum, producit, variant prout variat ipsum venenum applicatum, locus in quo haeret, subiectum cui fuit applicatum ratione aetatis, temperamenti, habitus corporis cetr. Sic v. g. aconitum labia, os, frontem, linguam ventriculum tumere facit, anxietates, vertiginem, deliquia animi, con-

convulsiones producit. Cicuta enormes vomitus, singulum, ventriculi ardorem, abdominis intumescentiam, deliria, convulsiones producit. Spiritus acidi in ipsis locis, vbi haerent, erosiones, dolores grauissimos, vomitus, finguatum producunt. Arsenicum et cobaltum inflammaciones, dolores acerbissimos, ardorem in ore et fauibus producunt, naufragium, vomitus, spasmoidicas pectoris contractions, intumescentiam abdominalis, frigus extremorum, sudores frigidos, conuulsiones ceter. excitant.

## §. 148.

Haec dicta (§. 139. seq.) ergo declarant ea, quae a medico sunt obseruanda, vbi ipsi in foro est determinandum, utrum subiectum quoddam venenum acceperit, nec ne? Nimirum tale subiectum, de quo affirmatur, quod venenum acceperit, vel adhuc est in viuis, vel non. Si prius, medicus magnam veneni accepti suspicionem adseverare potest, vbi inuenit:

- 1) quod symptomata praesentia (§. 147.) ita sint comparaata, ut pro effectibus veneni accepti haberi possint;
- 2) quod symptomata praesentia subito adparuerint, potissimum spasmi et dolores vehementissimi, sitis ingens, nausea, vomitus, animi deliquia, cholera, reictio materiae peregrinae, conuulsiones vniuersales ceter.
- 3) quod subiectum antea fuerit perfecte sanum, nullumque commercium habuerit cum aliis morbo quodam epidemico contagioso laborantibus;
- 4) quod subiectum nullum grauiorem in diaeta errorem admiserit;
- 5) quod assumtorum odor ingratus saporque nauseus fuerit.

Elem. Med. Forens.

H. Quod.



Quodsi vero est posterius, tunc medico, antequam iudicium fert, non solum ad iam dicta probe est reflectendum, verum etiam inspectio legalis cadaveris est instituenda. Huius enim ope tam deregri potest saepe, num subiectum venenum acceperit, quam cognosci potest et qualitas et quantitas veneni dati, adeoque magis accurate determinari potest, vtrum venenum datum fuerit causa mortis immediata nec ne?

## §. 149.

Dum vero talis inspectio legalis cadaveris fit, tunc non solum ea, quae dicta sunt Cap. praec. probe obseruanda, verum etiam adhuc sequentia accurate sunt peragenda:

- 1) habitus corporis cadaveris externus est accurate examinandus et quidem:
  - a) num adsint maculae liuidae in corporis superficie;
  - b) num exhibeat signa putredinis manifesta (§. 121.)
  - c) num adsit maxime notabilis abdominis intumescencia, faciei tumor, teste enim experientia tales mutationes saepissime obseruantur in iis, qui ex veneno dato perierunt.
- 2) viae, per quas venenum deuoratum transiit, probe sunt inuestigandae; tales autem sunt fauces, oesophagus, ventriculus, intestina.

## §. 150.

Primum examinandus est ventriculus, et quidem

- a) ratione constitutionis.
- b) ratione contentorum.

## §. 151.

Dum examinatur ventriculus ratione constitutionis, pri-mario attendendum est:

1) num

- 1) num sit valde inflatus, vel praetermodum corrugatus;
- 2) num sit inflammatus, gangraenosus;
- 3) num in superficie sua exhibeat maculas rubicundas vel nigras vel liuidas;
- 4) num sit in vno vel altero loco perforatus;
- 5) num eius venae a sanguine magis sint turgidae;
- 6) num sit hinc inde erosus atque eius tunica interna decorticata et sanguinolenta, fluidis in ipsius cauo haerentibus quasi innatans;
- 7) num adsit hinc inde eschara nigricans vel flauescens. Quodsi enim tales ex recentis mutationes reperiuntur, magna veneni accepti suspicio exoritur, quia tales omnino a veneno, potissimum acuto (§. 134.) acri vel etiam alio ad ventriculum delato exoriri possunt.

## §. 152.

Examinata ventriculi constitutione (§. 150.) progrediendum est ad contentorum examen, quod maxime necessarium est, vt adpareat, vtrum venenum cum ipsis sit commixtum, et quale, nec non in quanam quantitate. Ut ergo quoque hoc examen fiat satis accurate, sequentia antequam contenta speciatim examinantur, probe sunt obseruanda:

- 1) omnia ventriculi contenta in peculiari quodam vase probe sunt colligenda;
- 2) tota superficies ventriculi interna accuratissime est inquirenda, vt patescat, an forsan hinc inde quaedam particulae veneni dati ipsis adhaereant, quae si reperiuntur, probe sunt colligendae.

## §. 153.

Dictis obseruatis (§. praec.) ipsum examen contentorum, et quidem in praesentia iudicis, actuarii atque scabi-

scabinorum sequentem in modum est suscipiendum. Contenta reperta vel sunt fluida, vel non. Ultimo in casu ita potest procedi:

i) exsiccatur portio quaedam contentorum inuentorum, in primis si sunt puluerulenta in cochleari ferreo, stan-  
no obducto, ignis flammea admoto et facta hac exsic-  
catione, portio quaedam huius massae exsiccatae, quae  
antea accurate est ponderanda:

a) iniicitur carbonibus ignitis, quae si dat vaporem,  
cuius color est caerulescens, odor vero alliaceus,  
nares maximopere feriens, tunc exinde argumentari  
potest medicus, his cum contentis materiam ar-  
senicalem esse commixtam. Ut vero maiori cum  
certitudine possit determinare materiam inesse arse-  
nicalem contentis repertis, pro renata sequentia ad-  
huc experimenta institui possunt, nempe:

b) portio massae exsiccatae animalibus v. g. gallinae,  
cani etc. est exhibenda; si ab ea tale animal mori-  
tur, erit materia arsenicalis cum contentis repertis  
commixta;

c) portio quaedam huius massae exsiccatae est cum se-  
bo atque tartaro miscenda, mixtumque igni expo-  
nendum sufficienti, quodsi ex tali mixto oritur spe-  
cies corporis metallici regulini, tuto concludi potest,  
quod talis massa in ventriculo cadaveris reperta sit  
naturae arsenicalis;

d) inuestigari etiam potest, num portio huius mas-  
cae repartae metallis rubris (vbi nempe talia  
cum massa reperta in igne tractantur) colorem  
album inducat, quod si est, etiam habemus indicium  
certum, massam in ventriculo cadaveris repartam  
participare de natura arsenici. *Vid. Neumannii Che-  
mia*

## VENEFICIVM.

61

*mia Dogm. Exper. Edit Kesseli Tom. IV. Pars 1. p.  
487. seq.*

2) residuum massae exsiccatae, si nempe per experimen-  
ta constitut, quod fuerit venenosa, accurate ope bilan-  
cis est ponderandum.

In primo vero casu sequentem in modum examen in-  
stitui potest: Sumitur portio liquidorum in ventriculo re-  
pertorum atque instillatur ipsi:

- a) liquor alcalicus v. g. oleum tartari per deliquium,  
si ab adfuso tali liquore mixtum vel colorem luteum  
obtinet, vel effervescit, tunc in primo casu conclu-  
di potest, quod cum liquidis in ventriculo repertis  
commixtus sit mercurius vel sublimatus vel praecipi-  
tatus; in altero vero casu, quod sal quoddam aci-  
dum eminens haereat in liquidis repertis. Quodsi  
vero ab adfuso liquore alcalico nec color mutatur,  
nec effervescentia oritur;
- b) adfunditur spiritus quidam acidus; si mixtum effe-  
vescit, tunc est indicium, quod in repertis liquidis  
sal quoddam alcalicum praedominium habeat.

Ceterum medicus etiam

- a) semper attendere debet quoque ad inuentorum con-  
tentorum colorem, quippe qui interdum declarare  
potest an et quale venenum cum ipsis sit cum com-  
mixtum;
- b) portionem quandam eiusmodi reperti veneni, tam-  
quam corpus delicti, ad acta tradere debet, quo ex-  
perimenta a facultate quadam medica, cuius decre-  
tum iudex sibi expedit, quoque institui possint.

§. 154.

Haec quae obseruanda sunt, quando ventriculus exa-

H 3

minatur

minatur (§. 150. seq.) etiam obseruari debent, quando post ventriculum examinatum intestina atque viae relique (§. 149. no. 2.) examinantur.

## §. 155.

Quae hactenus sunt tradita (§. 148. seq.) potissimum valent de venenis acutis (§. 134.) qualia sunt corrosiva (§. 138-140.) atque stupefacentia (§. 141.) venena enim lenta seu chronica (§. 134.) qualia sunt inspissantia seu exsiccantia (§. 145.) non ita comparent, quia illorum effectus non est subitaneus.

## §. 156.

Ad classem venenorum etiam pertinent vina ita dicta mangonizata potissimum ea, quae litargyrio, vel aliis ex plumbo paratis calcibus dulciora vel gratiora sunt redditia. Fraus commissa detegi potest, quando cum portione eiusmodi vini commiscentur aliquot guttulae ita dicti liquoris probatorii, ex auripigmento cum calce viua parati. Quod si enim vinum ab adfuso tali liquore obtinet colorem obscurum, nigracantem, tunc semper certi esse possumus, cum tali vino esse commixtam materiam quandam de natura Saturni participantem.

## §. 157.

Philtrum est tale corpus, quod ad corpus humanum delatum efficit, ut nolentes in amorem duci possint. Veteres quidem plura eiusmodi philtra enarrant, ut adparet ex Henckelii Tract. de Philtris eorumque efficacia. Francof. 1790. 8. verum omnia sunt fabulosa atque anilia, reuera enim nulla dantur, quia talia remedia non prostant, quae in animam tanquam ens simplex agere immediate possunt, id quod tamen esset necessarium.

SECT. II.

## SECT. II.

DE HOMICIDIIS STRICTE DICTIS SEV DE  
LETHALITATE VULNERVM.

§. 158.

**S**ub vulnere hic intelligimus omnem morbum, quem violentia quaedam externa corpori humano adplicata produxit. Pertinent ergo ad vulnera contusiones, luxationes, fracturae, vulnera stricte dicta cetera.

§. 159.

Quodsi quis ab alio fuit vulneratus, post vulnerum acceptum (§. 158.) vel moritur, ubi audit vulner lethale, vel non moritur et tunc vocatur non lethale.

§. 160.

Omne vulnerum lethale (§. 159.) ita se habet, ut vel inde mors nulla arte evitanda sequi debeat, vel non. Priori in casu vocamus absolute lethale, in posteriori vero per accidens lethale.

§. 161.

Vulnerum per accidens lethale (§. 160.) diuidimus in vulnerum per accidens laethale primi generis atque secundi generis. Quodsi ita se habet, ut mors adhuc praecaueri potuissest arte hodie cognita, vocatur vulnerum per accidens lethale primi generis; ab aliis etiam vocatur per se laethale; quodsi vero ita se habet, ut mors fecuta post vulnerum plane non sit adscribenda vulneri, verum aliis causis, vocatur per accidens lethale secundi generis seu vulnerum per accidens lethale stricte dictum.

Not. Ab aliis auctoribus alio quidem modo vulnera lethalia subdividuntur,

duntur, vti ex scriptis *Alberti*, *Bohnii*, *Teichmeyeri* aliorumque adparet. Quia vero tales diuisiones magnam confusione in medicina forensi creant, dum saepe effata medico-legalia satis dubia reddunt, vt hinc index poenam damno proportionalem statuere nequeat, hinc aliam vulnerum classificationem *lethalium* constituimus.

## §. 162.

Ex his dictis (§. 160. seq.) sequentia simul fluunt :

- 1) quicquid est vulnus absolute lethale, id nullam admittit medelam et semper necat, ita tamen, vt mors modo subita, modo lenta sequatur;
- 2) mors semper est effectus vulneris absolute lethalis inseparabilis;
- 3) vulnus absolute lethale semper est unica causa mortis laesi;
- 4) consequentia non valet: vulneratus mox post vulnus acceptum est mortuus, fuit ergo talis laesio absolute lethalis;
- 5) dantur vulnera per accidens lethalia (§. 161. seq.) vbi causa mortis laesi, partim ex laesione inficta, partim ex aliis simul concurrentibus causis dependet.

## §. 163.

Quodsi quis vulneratur (§. 158.) et hic post vulnus acceptum moritur, vulnerans poena damno proportionali est multandus, nimirum poena capitali adficitur pro re nata vbi fuit vulnus absolute lethale, extraordinaria vero poena semper dimittitur, vbi vulnus per accidens lethale mortem attulit. Antequam ergo iudex de poena percussori infligenda decernit, depositio medica est necessaria (§. 1.) quippe quae indicare debet, an mors secuta post vulnus a vulnera vnicce sit facta, nec ne. Ut proinde medicus talem renun-

renuntiationem de vulnere concinnare queat, qualis esse debet ea, quae valorem habere debet, necesse est, ut non solum in cadasuere occisi accurate inquirat, an causa mortis laesi sit vnicce adscribenda vulneri, ita ut mors nulla arte evitanda sequi debuerit, (§. 160.) verum etiam ut probe intelligat, quaenam laesiones sint absolute lethales appellandae, et quaenam tantum sint per accidens lethales (§. 161.) Ordinis hinc ratio requirit, ut potiora momenta proponamus, ad quae medico est respiciendum, vbi accurate determinare vult, num laesio cuidam inficta fuerit absolute lethalis, an vero tantum per accidens lethalis (§. 160. et 161.) Haec omnia satis patebunt?

- 1) quando generatim indicamus, in quonam casu vulnus quoddam vel pro absolute lethali, vel pro vulnere per accidens lethali habendum;
- 2) quando quamlibet partem corporis notabilem seorsim consideramus, atque respectu ipsius ostendimus, quaenam vulnera, vbi laeditur, sint absolute lethalia pronuncianda et quaenam tantum testentur de lethalitate per accidens;
- 3) quando simul recensemus potiores alias circumstantias, ad quas medicus quoque reflectere debet, quo satis accurate de vulneris cuiusdam lethalitate deponere queat.

§. 164.

Quia vulnus absolute lethale mortem nulla arte evitandam inducit (§. 160.) sequitur, ut omne vulnus, quod integre tollit influxum sanguinis venientem in cordis caua et effluxum sanguinis arteriosi ex cordis cauatoribus, seu quod perfecte tollit motum sanguinis circulatorium, adeoque cordis actionem sit vulnus absolute lethale (§. 160.)

Elem. Med. Forens.

I

§. 165.

§. 165.

Per principia medica constat, quod ad actionem cordis requirantur:

- 1) integritas catorum cordis, ut sanguinem continere queant;
- 2) libera cerebri et neruorum inde ad cor abeuntium qui vocantur cardiaci, actio;
- 3) motus sanguinis per arterias cordis coronarias;
- 4) liberum sanguinis per pulmones iter;
- 5) redditus sanguinis in quasdam saltim venas;
- 6) vt ex alimentis ingestis tot et talia in sanguine restituantur, quot et qualia ex ipso sanguine perdita, hinc ergo sequitur, quod vulnera absolute lethalia sint omnia ea (§. praec:) quae
  - a) cordis equitates ita laedunt, ut sanguinem continere nequeant;
  - b) quae integre tollunt liberam actionem cerebri et neruorum inde ad cor abeuntium;
  - c) quae efficiunt, ut respiratio plenarie cessare debeat, hac enim absente cessat sanguinis iter per pulmones;
  - d) quae bintegre sifflunt sanguinis motum per arterias cordis coronarias;
  - e) quae redditum sanguinis in quasdam saltim venas perfecte tollunt;
  - f) quae plenarie tollunt istarum partium actionem, quae absolute sunt necessariae, ut per eas partium amissarum iactura restitui possit, adeoque potissimum, quae chyli in cor motum tollunt.

§. 166.

Patet hinc (§. 164. et 165.)

1) Sub-

- IV. 1) Subiectum vulnerum absolute lethalium semper esse tales partes, quarum integritas non potest tolli vita superflue;
- 2) plura vulnera eiusmodi partium internarum, ad quas nullo modo manus medentis accedere potest, etiam esse absolute lethalia, (§. 164.)

§. 167.

Quando vulnus est per accidens lethale, causa mortis laesi vulneri vel plane non, vel tantum ex parte est adscribenda, (§. 161.) adeoque erunt omnia ista vulnera per accidens lethalia

- a) quae mortem inducunt, quatenus sibi reliquituntur, talia sunt: a) ea vulnera capitis, quae nope trepanationis curari possunt;
- b) vulnera vasorum maiorum sanguiferorum in loco, ad quem manus medentis peruenire potest;
- c) vulnera viscerum, ad quae manus et medicamenta cum effectu sanationis peruenire possunt;
- d) quae morrem inferunt emissio suo liquido in causa ea, vnde educi id sine virae periculo potest.
- 2) quae ita se habent, ut causa mortis adscribenda sit,
- a) vel ipsi laeso et quidem aut eius incuriae, aut singulari idiosyncrasiae in ipso praesenti;
- b) vel errori seu imperitiae medentis;
- c) vel errori ab adstantibus commisso;
- d) vel morbo cuidam praesenti a vulnera tamen non orto.

§. 168.

Methodi ratio postulat (§. 163. no. 2) ut nunc agamus de vulneribus cuiuslibet partis magis notabilis nostri cor-

I 2

poris

poris, adeoque sequentem ordinem volumus obseruare, ut  
 1) de vulneribus capitis et colli;  
 2) de vulneribus pectoris;  
 3) de vulneribus abdominis;  
 4) de vulneribus extremitatum, agamus.

## §. 169.

Omnia vulnera capitis sunt vel externa vel interna,  
 et haec iterum duplices sunt generis; alia cum laesione  
 encephali sunt coniuncta, alia vero non.

## §. 170.

Vulneribus capitis externis, siue sint vulnera integumentorum, siue pericranii, siue vulnera ossium calvum  
 constituentium, siue vulnera faciei, lethalitas absolute non  
 potest adscribi (§. 164. et 165.)

## §. 171.

Vulnera capitis interna, quae cum nulla encephali  
 laesione sunt coniuncta (§. 169.) non sunt absolute lethalia  
 (§. 164. 165.)

## §. 172.

Vulnera capitis interna cum laesione encephali iuncta  
 quod attinet, (§. 169.) ratione lethalitatis sequentia sunt  
 annotanda:

- 1) vulnera durae matris, quae ita comparata, ut nec si-  
 nus quidam, nec ramus maior arteriae in ea decurren-  
 tis sit vulneratus, non sunt absolute lethalia (§. 164. 165.)
- 2) vulnera sinuum durae matris atque arteriarum maio-  
 rum semper pro absolute lethalibus sunt habenda;
- 3) omnia vulnera encephali, quae ita comparata sunt,

ut coniuncta sint cum extrausatione notabili humoris tali in loco haerentis, ex quo ope artis euacari non potest, qualia loca sunt ventriculi cerebri atque basice caluariae, absolute lethalia sunt dicenda (§. 164. et 165.) Talia v. g. sunt, quae penetrarunt per basin caluariae, per ossa temporum, os ethmoideum, per inferiora orbitae, et hinc

- 4) omnia vulnera tam cerebri stricte dicti, quam cerebelli superficiaria non sunt absolute lethalia (§. 167.)
- 5) omnia vulnera cerebelli atque medullae oblongatae profunda sunt absolute lethalia declaranda (§. 164. 165).
- 6) omnes laesiones medullae spinalis superioris seu principii medullae spinalis, imo omnes medullae spinalis laesisionis profundiores sunt absolute lethales (§. 164. et 165.)

§. 173.

Quod ad vulnera colli attinet (§. 168.) sequentia quae ex dictis (§. 164. sequ.) fluunt notamus:

- 1) vulnera venarum iugularium interharum sunt absolute, externarum vero per accidens lethalia (§. 164. - 167.)
- 2) vulnera arteriae carotidis atque vertebralis absolute lethalia sunt pronuncianda (§. 164. et 165.)
- 3) vulnera arteriae maxillaris internae atque sublingualis pertinent ad classem vulnerum absolute lethalium;
- 4) vulnera eiusmodi carotidis ramorum, qui vel deligari vel comprimi possunt, pertinent ad classem vulnerum per accidens lethalium (§. 167.)
- 5) vulnera nervorum parisi intercostalis atque vagi ut et istorum, qui vocantur phrenici, quatenus per collum decurrent, absolutam inferunt lethalitatem (§. 164. et 165.) id quod etiam valet

13

6) de

- 6) de plexu nervorum ex medulla spinali ad brachium deducto; (§. 164. sequ.).
- 7) omnes luxationes primae et secundae vertebrae collis semper lethalitatem absoluam inducunt (§. cit.).
8. exigua oesophagi vulnera, si in collo accident, sunt per accidens lethalia, (§. 167.) grauiora vero, ubi guilla v. g. plane est discessa, omnino inter absolute lethalia sunt referenda (§. 164. sequ.).
- 9) vulnera asperae arteriae leuiora, quae in collo accident, sunt ex classe vulnerum per accidens lethalium, (§. 167.) abscciso vero laryngis cum subductione asperae arteriae scissae semper est absolute lethalis (§. 164. sequ.).
- 10) omnes validae laryngis percussionses atque destructiones pro laesionibus absolute lethalibus sunt habendae (§. 164. et 165.)

## §. 174.

Vulnera thoracis (§. 168.) duplices sunt generis, alia concernunt partes cauum thoracis efformantes, alia vero partes in ipso thoracis cava delitescentes.

## §. 175.

Ratione vulnerum, quae laedunt partes in cauo thoracis latentes, sequentia quoad lethalitatem sunt anno-tanda:

- 1) omnia vulnera cordis, quae penetrant usque ad cavitatem quandam cordis, nempe ad ventriculum, aut ad auriculam quandam, aut ad sinum quandam cordis, absolutam gignunt lethalitatem (§. 164. et 165.) id quod etiam valet.
- 2) de vasorum cordis coroniorum, arteriae magnae, arteriae pulmonalis, venae cavae, venarum pulmonarium

- 1) sanguinem, arteriae subclaviae, arteriae axillaris, venae azygos, arteriae mamariae internae vulneribus.
- 2) vulnera arteriarum intercostalium referenda sunt inter vulnera per accidens lethalia (§. 167.).
- 3) vulnera oesophagi in thorace haerentes sunt absolute lethalia (§. 164. et 165.).
- 4) vulnera tracheae subclavicalis et in cauam thoracis reconditae semper sunt absolute lethale (§. cit.).
- 5) omnia vulnera pericardii non sunt absolute lethalia (§. cit.).
- 6) vulnera pulmonum, quae vasa sanguifera maiora laedunt, semper sunt absolute lethalia (§. 164. 165.) quae vero vasa pulmonum maiora non feriunt, ea tantum sunt ad vulnera lethalitatis accidentalis referenda (§. 167.).
- 7) vulnera bronchiorum magna sunt, absolute lethalia (§. 164. sequ.).
- 8) vulnera partis musculosae diaphragmatis superficiaria sunt per accidens lethalia (§. 167.), ea vero, quae occurunt in parte tendinea, semper sunt absolute lethalia;
- 9) laesiones ductus thoracis semper sunt absolute lethales (§. 164. 165.).
- 10) vulnera nervorum cardiacorum, phrenicorum, intercostalium, paris vagi, semper pro absolute lethalibus sunt habenda.
- 11) Quod attinet ad vulnera occurrentia in partibus cauam thoracis efformantibus (§. 174.) sequentia ratione lethalitatis notari merentur:
- §. 176.
- 2) fin.

364) **V**omnia vulnera thoracis external non sunt absolute lethalia (§. 164. 165.)

-365) **S**implex luxatio vel fractura vnius vel alterius costae non est absolute lethalis (§. 167.)

366) **M**agnae partium pectoris contusiones atque laesiones, quibuscum arteriarum intercostalium dilacerationes sunt iunctae, absolute sunt lethales (§. 164. 165.)

367) **V**ulnus thoracis, ubi vnum tantum latus quodam in loco est perossum, est per accidens lethale; (§. 167.) ex aduerio

368) **O**mne vulnus latum utramque cavitatem thoracis per se pars est absolute lethale. (§. 164. 165.)

Ratione vulnerum abdominalium (§. 168.) sequentia quoad ipsorum lethitatem annotanda venient.

1) **O**mne vulnus abdominis, quod non penetravit usque in eius cauum, siue sit vulnus integumentorum, siue muscularum, siue lineae albæ et femilunaris, siue vnbilei, siue annuli abdominalis, non sunt absolute lethalia; id quod etiam valet, ubi vulnus penetravit usque in abdominis cauum, ita tamen, ut nulla pars in ipso haerens simul fuerit laesa;

2) **E**a omenta vulnera, ubi eius vasa sanguifera tali in loco sunt vulnerata, ut nulla arte possibili haemorrhagia compesci possit, sunt absolute lethalia (§. 164. 165.) reliqua vero tantum sunt per accidens lethalia dicenda; (§. 167.)

3) **V**ulnera ista ventriculi, quae tali in loco ipsi infliguntur, ubi inveniuntur a) vel multi incedunt nerui, qui simul laeduntur;

b) vel multa vasa sanguifera notabiliora reperiuntur quae

- quae simul vulnerantur, vel tali in loco, vt assumta  
vel ad cauum ventriculi plane non venire, vel ex  
ventriculo in intestina abire non possint, sed semper  
in cauum abdominis ruant, infer vulnera absolute  
lethalia sunt referenda. Talia vero sunt vulnera  
extremitatum, fundi seu curuatureae magnae ventri-  
culi, nec non ea, quae ventriculum in utroque la-  
tere perfodiant (§. 164. 165.)
- 4) vulnus intestini tenuis, quod ita se habet, vt intesti-  
num pyloro satis vicinum integre sit discussum, abso-  
lute lethale est dicendum (§. 164. 165). Valer hoc et  
iam de vulneribus intestinalium circa mesenterium in-  
flictis;
- 5) vulnera intestinalium crassorum, vt et tenuiorum in  
loco a ventriculo magis remotiori, vti et ea, quae  
tubam intestinalem non integrè discindunt, non sunt  
pro absolute lethalibus declaranda (§. cit.)
- 6) vulnera hepatis alta et profunda, id est quae coniun-  
cta cum laesione vasorum maiorum per hepatis substan-  
tiam decurrentium, sunt absolute lethalia; pariter abso-  
lute lethalia iudicantur vulnera ductus hepatici, cysti-  
ci, vesiculae felleae, ductus choledochi, venae porta-  
tarum, arteriae hepaticae (§. cit.)
- 7) vulnera hepatis leviora seu maxime superficialia, id  
est quae humorum extravasationem in cauum abdomi-  
nis vel nullam vel minus notabilem inducunt, sunt  
semper vulnera per accidens lethalia (§. 167).
- 8) ruptura hepatis semper est absolute lethalis (§. 164. 165).
- 9) vulnera lienis alta et profunda sunt absolute lethalia  
(§. 164. 165.), id quod etiam valet de ruptura lienis;  
vulnera vero lienis leviora sunt tantum per accidens  
lethalia (§. 167).
- Elem. Med. Foren.

- 10) omnia vulnera capsulae chyli sunt absolute lethalia (§. 164. 165.) valet hoc etiam
- 11) de vulneribus arteriae magnae, venae caue inferiores, aliorumque vasorum sanguiferorum notabiliorum, nec non nervorum maiorum in cauo abdominis haerentium.
- 12) vulnera pancreatis ita se habentia, ut vasorum trunci vel rami insignes per viscus dispersi sint discissi, sunt absolute lethalia (§. 164. 165.). Idem iudicium est referendum.
- 13) de vulneribus mesenterii, quando ita sunt comparata, ut vasa magna sanguifera, lactea, nervosa per istud decurrentia simul sint vulnerata (§. 164. 165.).
- 14) vulnera renum grauiora ad quae simul pertinent vulnera pelvis renalis atque vretherum absolute sunt lethalia (§. 164. 165.); leuiora vero renum vulnera per accidens lethalia sunt pronuncianda (§. 167.).
- 15) vulnera vesicae vrinariae, quae ita se habent, ut sanguis ex vasis laefis, nec non vrina ex laesa vesica in ea loca abeant, ex quibus nulla arte educi possunt, semper sunt absolute lethalia (§. 164. 165.); ista vero, vbi humores effusi educi possunt, sunt tantum per accidens lethalia (§. 167.).
- 16) vulnera partium genitalium externarum sexus nobilioris, ad quae simul pertinent compressiones testiculorum violentiae, non sunt absolute lethalia (§. cit.).
- 17) vulnera vteri grauidi notabiliora semper sunt absolute lethalia.
- S. 178.
- Vulnera extremitatum (§. 168. n. 4.) sunt per accidens lethalia ut plurimum (§. 167.) interdum tamen quaedam absolute

Iuste lethalia esse possunt, nimirum quando ita se habent, ut trunko magis sint vicina, vt haemorrhagia praesens nullatenus possit arte, gangraenaque vehementissima statim subsequatur.

## §. 179.

Circumstantiae ad quas excepta parte laesa simul medico est respiciendum, ut magis accurate de vulneris lethaliitate deponere possit (§. 168.) concernunt:

- 1) ipsum vulneratum, respectu cuius attendere debet ad aetatem, constitutionem corporis, vtrum haec ante vulnus illatum, fuerit sana, vel morbos, ad statum plethoricum praesentem, ad sexum v. g. num vulnerata sit grauida, et quamdiu, ad statum mentis, num fuerit vulneratus in affectu animi constitutus, ebris ceter.
- 2) symptomata, quae in vulnerato fuere obseruata, et quo tempore fuere infsecuta. Probe enim est notandum, quod symptomata in vulnerato occurrentia triplicis generis esse possint;
  - a) quaedam vulnus vnicce pro causa agnoscent;
  - b) quaedam ex parte a vulnere dependet;
  - c) quaedam vulnus plane non pro sua causa agnoscent. Hinc si quoque ex symptomatibus medicus diiudicare vult lethalitatem laesioris, potissimum ad ea, quae vnicce a vulnere dependent, reflectere debet.
- 3) instrumentum laedens, quod considerandum ratione figurae, molis, impetus, quocum in partem laesam egit;
- 4) tempus mortis infsecutae;
- 5) methodum medendi, qua medens fuit usus;
- 6) ea, quae cum laetione inficta vel ex circumstan-

tiis temporis, vel casu fortuito coniuncta fuerunt atque effectum in se mitiorem reddiderunt vehementiorem; talia v. g. sunt aër frigidus, locus desertus, ubi vulnerato nemo succurrere potuit cetr.

§. 180.

Omnia ergo haec dicta (§. 160. sequ.) satis demonstrant, medicum nunquam exacte posse determinare iudici, an laesio alteri inficta fuerit sola causa mortis, nisi antea fiat inspectio atque sectio cadaveris legalis.

### SUBSECTIO III.

#### DE INFANTICIDIO STRICTE DICTO.

**T**ale homicidium, vbi interficitur homo vel nondum natus, vel in partu constitutus, vel modo natus vocatur in genere infanticidium. Et hoc dividimus in infanticidium stricte dictum, quando homo, qui interficitur est vel partus praecox vel partus maturus (§. 24.); atque aborticidium, vbi homo, qui vita priuatur, est abortus (§. cit.).

§. 181.

Tota doctrina de infanticidio stricte dicto, quatenus pertinet ad medicinam forensem rite intelligi potest, quando praeципue sequentia rite exponimus, nimirum:

- 1) quando indicamus ea signa, ex quibus cognosci potest, partum in lucem editum reuera fuisse viuum;
- 2) quando commemoramus potiora signa, ex quibus adparet, partum mortuum fuisse exclusum;
- 3) quando accurate satis determinamus indicia declarantia,

tia, partum manu violenta fuisse occisum; ac tandem  
4) quando simul recensemus specialiora, quae medico  
obseruanda sunt, circa inspectionem legalem eiusmo-  
di cadaueris.

§. 183.

Vita hominis supponit exercitium actionum vitalium  
(per princip. physiol.) quodsi hinc foetus in lucem editus  
vixit, necesse est, ut in ipso adfuerit 1.) motus sanguinis  
circulatorius atque 2) respiratio.

§. 184.

Circulationem sanguinis in infante recens nato ad-  
fuisse (§. praec. no. 1.), medicus iudicare potest, quando  
inuenit

- 1) quod mater per omne grauiditatis tempus prospera ga-  
uisa sit valetudine, eaque simul motum infantis ipso  
tempore partus adhuc percepitur;
- 2) quod foetus natus decentem suam habeat longitudinem;
- 3) quod vasa foetus sanguifera nullo sint repleta sanguine;
- 3) quod hinc foetus in corpore corporis ecchymoses ad-  
fiant (§. 121.).
- 5) quod corpus foetus non sit rugosum atque flaccidum;
- 6) quod foetus monstruet funiculum umbilicalem succulen-  
tum atque candidum;
- 7) quod placenta uterina, si talis haberi potest, sit satis  
turgida, eiusque vasa sanguifera multo sanguine re-  
ferta;
- 8) quod in locis pressis sanguis coagulatus stagnans adsit;
- 9) quod spuma ante os infantis haereat;
- 10) quod partus fuerit satis naturalis.

K 3

Not.

**Not.** Probe est notandum, quod haec recentia signa semper sint collecti; ue sumenda, nequitam vero distributiva.

## §. 185.

Infantem post partum respirasse adfirmare potest medicus (§. 183. no. 2.) ubi inuenit, quod

- 1) infans post partum clamauerit;
- 2) quod pulmones habeant colorem magis albicantem, minus densi sint, atque aquae impositi in ea natent;
- 3) quod pulmones in cauo thoracis magis expansi haerent.

## §. 186.

Potiora signa, ex quibus colligere medicus potest, quod partus mortuus sit exclusus (§. 182. no. 2.) sunt sequentia:

- 1) quando matri tempore grauiditatis variis cum morbis grauioribus fuit conflictandum;
- 2) quando mater ad tempus satis notabile nullum motum infantis percepit;
- 3) quando tempore sectionis cerebrum instar aquae fluctuantis deprehenditur;
- 4) quando cor et reliqua vasa sanguifera, sanguine spissæ et ex parte coagulato plena deprehenduntur;
- 5) quando infans habet carnem collapsam, cutim mollem, quæ simul colore puniceo est infecta;
- 6) quando in superficie corporis animaduertuntur compressiones cum nulla ecchymosi coniunctæ;
- 7) quando sanguis satis putridus in vasis sanguiferis deprehenditur;
- 8) quando signa putredinis satis manifesta in foetu mox excluso obseruantur v.g. cuticulae separatio a cute sub-

- subiacente, funiculus vmbilicalis magis marcidus, corrugatus, flauescens et quasi colliquescens, intumescentia abdominis et mollis vniuersi corporis tumor;
- 9) quando funiculus vmbilicalis est magis marcidus et quasi exstuccus;
  - 10) quando ossa cranii infantis magis mollia minasque continua deprehenduntur;
  - 11) quando aliae partes internae excepto cerebro corruptae cernuntur;
  - 12) quando placenta vterina mox post partum corruptio-  
nis indicia manifesta praebet;
  - 13) quando defectus excrementorum crassis in intestinis,  
nec non defectus vrinæ totalis in vesica vrinaria ani-  
maduertitur;
  - 14) quando partus fuit admodum difficilis;
  - 15) quando pulmones sunt magis densi, colorem magis  
rubrum exhibent, in aqua subsidunt atque in vitro-  
que pectoris cano collapsi intueniuntur;
  - 16) quando integritas et conformatio conueniens omnium  
organorum quoad longitudinem et crassitatem non adest;
  - 17) quando corpusculum foetus ab adstantibus statim post  
partum calidum non fuit deprehensum;
  - 18) quando sanguis maiori in quantitate per genitalia  
muliebria effluxit ante partum et etiam ipso in partu;
  - 19) quando granida mater incidit in iram vel terrorem  
inopinatum maxime vehementem;
  - 20) quando externa quaedam violentia durante grauidi-  
tate fuit praegressa v. g. percussio ab dominis.
  - 21) quando tempore partus ex genitalibus effluxit naufo-  
sa mephitis;
  - 22) quando fontanellae adest subsidentia sine signis vio-  
lentiae depressionis;
  - 23) quan-

23) quando meconium tempore partus effluxit,

Not. Ea quae dicta sunt Scholio §. 184. etiam hic valent.

§. 187.

Producimus quidem ad pulmonum docimasiam (§. 185. no. 2. et 186. no. 15.). Sed haec sola non est certum signum, ut vel ex ipsorum subsidentia in aqua possit concludi cum certitudine foetum mortuum ex utero fuisse exclusum, vel ex ipsorum natatione in aqua possit certe concludi, foetum in lucem editum fuisse viuum; nam

1) natare possunt pulmones in aqua, licet foetus mortuus fuerit exclusus v. g. quando putredinem iam conceperunt, vel ipsis aer ab obstetricibus vel aliis adstantibus fuit inflatus;

2) subsidere possunt pulmones in aqua, quamquam foetus reuera viuus exclusus fuerit, nam foetus viuus exclusus aliquamdiu sine respiratione viuere potest.

Not. An foetus adhuc in utero haerens respirare possit, de eo tam veteres, quam recentiores medici multa disputatione fecerunt. Sed foetus utero et membranis propriis inclusus, liquore etiam amnii circumclusus undeque, spirare aerem plane non potest, multo minus tamen, qui refrigerio suo sanguinem per circulationem rarefactum condensare possit. Neque tamen focus in utero haerens, in quo ope foraminis ovalis et canalis arteriosi Botalli ab homine nato plane diversus sanguinis circuitus adest, effectu respirationis destituitur. Autem omnia umbilicales eodem tempore plus sanguinis ex foetu reuehant, quam per venam umbilicalem ex matre ad foetum derivatur, et hinc effectus idem est, ac si sanguis, per circulationem rarefactus et in maius spatium expansus, respiratione condensaretur.

§. 188.

Causam mortis infantis esse quandam violentiam, medicus adfirmare potest:

1) quan-

- 1) quando tempore inspectionis inuenit tales laesiones,  
quae etiam hominibus adultis infliguntur v. g. fractu-  
rae vel vulnera stricte dicta;
- 2) quando deprehendit eiusmodi indicia, quae testantur  
de suffocatione facta. Talia praecipue sunt
- a) compresio maxime notabilis thoracis;
  - b) aspera arteria sero et muco repleta;
  - c) rubor faciei vel liuor;
  - d) ruga tumens, prominula;
  - e) linea circularis rubra vel liuida in collo conspi-  
cua;
  - f) canum oris atque narium materia solida quadam  
peregrina repletum;
  - g) fugillatio grauior circa scrobiculum cordis praef-  
sens;
  - h) pulmones liquidi, sanguine suffusi, magis pon-  
derosiores;
  - i) vapores sulphuris accensi ad pulmones delati;
  - k) caua cordis, nempe auricula dextra, sinus cordis  
dexter, thalamus cordis dexter magis expansa a  
sanguine maiori in copia in ipsis haerente;
  - l) venae iugulares atque encephali sanguine magis  
plena;
  - m) spuma ori praefens;
  - n) vesica vrinaria ab omni vrina vacua;
  - o) quando infans praecipiit lapsu in aquam vel clo-  
cas spurias fuit immersus;
  - p) quando infans statim a partu sub stragulis oppres-  
sus iacuit;
- 3) ubi deprehendit tempore inspectionis veram nuchae  
luxationem, i. e. ubi non solum collum et caput flac-  
cidum est, verum etiam ubi simul fugillationes graui-  
ores magis profundaes adsumt;

L

4) quan-

- 4) quando tempore inspectionis in conspectum veniente variae caluariae laesiones, v. g. intropresiones, ffigmata magna in fontanellam adacta, aliaeque encephali laesiones, quae potissimum iunctae sunt cum sanguine vel fero sanguine tincto magori in copia extrauulato, haerente vel sub calua, vel inter cerebri hemisphaeria, vel in eius ventriculis, vel in basi caluariae;
- 5) quando tempore inspectionis cernit, nullam funiculi vmbilicalis delegationem esse factam, vel ipsum totum a corpore esse aquilsum.

§. 189.

Probe vero est annotandum, quod delegatio funiculi vmbilicalis non facta, non posse semper pro causa mortis infantis immediata haberi, sed tunc tantum, quando ex tali delegatione omissa, oborta fuit haemorrhagia lethalis per arterias vmbilicales, quae ex parte talem funiculum efformant. Ut proinde medicus cognoscere possit, vtrum non facta delegatio causa mortis vera infantis sit, necesse est, ut probe examinet:

- 1) vtrum totus habitus corporis magis sit pallidus;
- 2) num vasa sanguifera maiora atque caua cordis sint magis vacua;
- 3) an nulla ruptura funiculi vmbilicalis tempore partus sit facta, parturiensque nullam haemorrhagiam grauiorem ante partum vel in partu sit passa, quae si locum habent, tunc tuto concludere potest, intermissam delegationem funis vmbilicalis esse posse causam mortis infantis veram;

§. 190.

Ea quae medico exceptis iis, quae dicta sunt Sect. II. Cap. I. praecipue sunt obseruanda, dum inspectionem legalem eiusmodi infantis, de quo suspicio est, quod morte violenta fuerit occisus, suscipit (§. 182. n. 4.) sequentia sunt.

Nimi.

Nimirum quando talis inspectio instituitur, cadauer vel iam concepit putredinem manifestam, vel non.

In primo casu, si gradus putredinis iam est summus, omnis disquisitio erit impossibilis, si vero non est summus, saltim ossa capitis aliaque sunt examinanda, per tale enim examen non solum cognoscere potest:

- 1) utrum foetus fuerit maturus, maturitatem enim foetus cognoscere potest, partim ex magnitudine osium, partim ex ipsorum conformatione (§. 34. n. 6.).
- 2) verum etiam interdum simul detegere potest has vel istas violentias foetui infictas.

In altero vero casu sequentia potissimum agere debet:

- I.) dum inspectionem stricte dictam (§. 109.) instituit:
  - a) consideranda sunt inuolucra, quibus foetus fuit inuolutus, an sanguine tincta cetr. denuato dein corpore
  - b) examinandum est, cuiusnam sit sexus, et an sit foetus maturus, nec ne, postmodum
  - c) tota superficies corporis a capite usque ad calcem perquiranda, et quidem an in ea occurrant ecchymoses, fugillationes, maculae liuidae, stigmata varii coloris in vniuersa cutis superficie conspicua, cutis luescens, cum vel sine signis laesioris violentiae vel etiam aliae laesiones, v. g. puncturae in capite, nucha, luxationes, subsidentia fontanelae cum vel sine signis depressionis violentiae.
  - d) attendendum est ad calorem faciei, vti et totius corporis;
  - e) perquirendum est cauum oris atque narium, an materia quaedam peregrina in ipsis haereat;
  - f) examinandus est funiculus et quidem, an adhuc cohaerat cum placenta, an sit deligatus, an sit disclusus vel abruptus, qualem habeat colorem, quanta ipsius longitudine cer.

L 2

g) exa-

- g) examinanda quoque est placenta vterina, si adhuc cum funiculo umbilicali cohaeret, an exsuffca, scirrhosa, ceter.
- II.) Dum sectionem legalem (§. 109.) suscipit:
- 1) omnes tres caritates cardinales aperire debet, et hinc a capite ordinarie incipit, omnibusque iis, quae ratione capitum sunt observanda (Sect. II. Cap. I.), rite perquisitis, thoracem atque abdominis canuum simul aperire debet, ut magis accurate examinari possint vas a maiora in his causis occurrentia;
  - 2) dein accurate perquirere debet pulmones ratione coloris, connexionis, densitatis, substantiae, gravitatis, num in quibusdam locis sit indurata, an signa putredinis exhibeat;
  - 3) porro debet incidere asperam arteriam, ut appareat, an repleta muco vel sero, causa cordis et reliqua vas sanguifera maiora, ut non solum appareat, utrum sint sanguine repleta, an vero vacua, sed et simul color atque consistentia sanguinis cognoscatur. His factis pulmones cum corde excindere debet, ut ita dicta pulmonum decimasia (§. 187.) fieri possit. Hanc vero sequentem in modum instaurare potest. Iniciuntur pulmones, absctiso prius corde, in vas quoddam amplum aquae tepidae vel temperate frigidae sufficienti quantitate repletum, et attenditur, utrum fundum petant, an in superficie aquae subsstant, postea singuli lobi pulmonum etiam in tale vas aqua repletum coniiciuntur, quo quoque cognoscatur, utrum omnes subsstant, an vero omnes in aquae superficie natent. Facta hac decimasia etiam disquirere debet
  - 4) reliqua viscera abdominalia et imprimis ratio habenda est tam intestinorum crassorum, an nempe meconio

conio sint repleta, quam vesicae vrinariae, vtrum  
ab omni vrina sit vacua, nec ne.

§. 191.

His dictis (§. 183. sequ.), tandem et hoc addimus,  
quod medicus, quando relationem suam seu visum reper-  
tum peracta inspectione efformat, praeprimis attendere de-  
beat, ut materialia relationis (§. 125, 126.) praecipue indi-  
care debeantur.

1) an infans fuerit partus maturus (*ein vollkommen glied-  
maßiges Kind*) nec ne?

2) vtrum partus manu violenta fuerit occisus, et quod-  
nam violentiae genus causa mortis immediata fuerit.

SECT. IV.

DE ABORTICIDIO.

§. 192.

**Q**uid sit aborticidium (§. 181.) iam fuit dictum; indica-  
ta quoque iunt ita ligna, quae manifestant, feminam  
abortum passam esse (§. 86. seqq.) in praesenti ergo adhuc tria  
paucis sunt exponenda:

1) an dentur remedia abortum promouentia simpliciter  
seu absolute talia;

2) an ea persona, quae data opera abortum promovet,  
verum committat homicidium?

3) quaenam a medico sunt obseruanda, vbi ipsi in foro  
est deponendum, an femina abortum passa dedita o-  
pera eum procurauerit, nec ne?

§. 193.

Ad primam quaestionem quod attinet (§. praec. n. 1.)

L 3

ad

ad hanc ita respondemus: non dantur medicamenta abortum promouentia absolute seu simpliciter talia, id est, quae semper, quando in viuum vocantur, abortum excitant. Multiplex enim experientia monstrat, quod remedia, quae in scholis medicis abortum promouentia vocantur, et qualia sunt fortiora vomitoria, purgantia fortiora, venae sectio largior, emmenagoga omnia, imprimis fortiora, medicamenta salivationem producentia, variae violentiae externae v. g. irritationes orificii vterini, animi pathemata fortiora, morbi variii dolorifici, febres ceter. neutiquum in omnibus grauidis abortum producant, sed tantum in iis, in quibus causa praedisponebat ad abortum locum habet. Tales causae praedispontes sunt plethora, irritabilitas vteri maior, nutrimentum foetus deficiens, vterus, qui propter suum habitum ultra determinatum gradum extendi non potest, placenta vterina, constitutione morbosa gaudens.

## §. 194.

Responsio ad alteram quaestionem (§. 192. no. 2.) haec est: quories dedita opera abortus promouentur, rories committitur homicidium. Is enim, qui hominem viuum interficit, verum committit homicidium; atqui qui excitat dedita opera abortum, hominem viuum interficit, quia foetus a momento conceptionis est viuus (§. 47.): ergo is, qui dedita opera abortum excitat, verum committit homicidium.

## §. 195.

Vbi ergo medico in foro est deponendum, vtrum femina abortum pasto, dedita opera ipsum excitauerit (192. no. 3.) necesse est, vt inquiratur:

1) an ea, quae in usum fuere vocata ad abortum excitantum, ita sint comparata, vt abortum concitare valeant;

2) an

2) an ipsorum usus fuerit largo et per notabile tempus simul continuatus. His enim rite ponderatis semper sufficientia obtinebit data, ex quibus cum certitudine colligere posit, num dedita opera abortus fuerit extitatus, nec ne?

## C A P V T III.

DE TORTVRA ATQVE POENIS  
CORPORIS AFFLICTIVIS.

§. 196.

**I**urisconsulti intelligunt sub tortura *die Marter, peinliche Frage*, istum actum iudiciale, quo reus de criminis quodam suspectus interrogatur atque pro qualitate delicti et indiciorum ad dicendam veritatem certis tormentorum generibus a carnifice excruciatur.

§. 197.

Potiora instrumentorum torturae genera, quibus rei hodie torqueri solent, sunt sequentia:

**P**olletrum, *die Daumenstücke, Daumenscrauben*; hoc est prelum retractis, utriusque manus pollices in phalanga media comprimuntur.

**C**ompedes seu ocreae Hispanicae *die Spanischen Stiefeln*, hoc instrumentum torturae est prelum ex lamina ferrea *a*. et disco ligneo, cui eminentiae sunt additae *b*. constans, mediante quo, dum discus ligneus tibiae, lamina ferrea vero surae adPLICatur, partes interiacentes comprimuntur.

**F**idiculae *die Schnüren*, quae sunt funes asperi, ex filis cannabinis vel seta equina confecti, quae aliquoties circa

ca carpum conuoluuntur et rotantur; per has ergo cutis semper vehementer fricatur, ita ut saepius eueniat soluta vinitas cutis adeoque haemorrhagia.

Fig. IV. ~~Fig. IV.~~ Scala die Letter, super hanc extenditur reus et sursum trahitur.

Fig. V. Instrumentum istud in media scala existens, quod reciprocari potest et hinc tergum rei inforat solutamque unitatem producit. Vocatur germanice der gespickte Haase.

Fig. VI. Instrumentum Megapolitanum, die Mecklenburger Tortur sive der Spanische Bock, hoc mediante pollices pedum et manuum comprimuntur.

Fig. VII. Instrumentum istud, quo reus pedibus manibusque ligatis sedet denudatus atque incurvus et deinde flagello caeditur. Appellatur die Bamberger Tortur.

ad Fig. IV. Not. Ista pars in scala conspicua, mediante qua proprie membra rei sursum trahuntur & dici solet der Kolben et separatum torturac instrumentum, vti putant nonnulli, non est.

### §. 198.

Omnia ergo haec torturae instrumenta in eo conueniunt, quod fibras sensiles cutaneas et subcutaneas habent in loco, ubi adplicantur, nimis tendant, adeoque dolorem modo acerbiorem, modo acerbissimum gignant, imo interdum quoque, si potissimum ipsorum impetus non satis moderatur, dilacerationem atque destructionem cutis, inflammationes, articulorum distorsiones, ossium fracturas inducant.

### §. 199.

Dividunt iurisconsulti torturam in territionem, atque torturam stricte dictam. Territionem iterum dividunt in verbalem et realem. Verbalis (das bloße Vorstellen des Scharf-

Scharfrichters) audit quando carnifex praesente iudice verbis atque gestibus seuerioribus irruit in inquisitum, ita tamen, ut eum non apprehendat atque tangat et a scabinis ut plurimum his verbis exprimitur: *dass ihr wohl befugt Inquisiten den Scharfrichter vorzustellen, und durch denselben, als wollte und sollte er ihn angreifen, befragen lassen.* Realis appellatur territio. quando carnifex praeter minas manus quoque iniicit, inquisitum vestibus denudat, ad scalam ducit, instrumenta, quibus peragitur tortura, ipsi ante oculos ponit atque polletra applicat. (§. 197. no. 1.). Scabini talem torturae speciem his verbis exprimunt: *dass man wohl befugt Inquisiten dem Scharfrichter auf diese Maße zu übergeben, dass er ihn mag ausziehen, entblößen, zur Leiter führen, die zur Peinlichkeit gehörigen Instrumenta vorzeigen, die Daumenstücke anlegen und damit zuschrauben, jedoch dass es bey dem, was jetzt gedacht, verbleibe.*

Tortura stricte dicta tribus communiter gradibus apud nos absolvitur. Primus gradus audit, quando non solum polletra, verum etiam simul fidiculae applicantur (§. 197. no. 3.). Secundus gradus audit, quando non solum polletra et fidiculae applicantur, verum etiam reus super scalam extenditur, atque ope ocrearum Hispanicarum excruciatur (§. 197. no. 2.). Tertius gradus salutatur, quando carnifex non solum applicat ista torturae instrumenta, quae applicantur in primo et secundo gradu, verum etiam adhuc alia seuiores cruciatus excitantia in usum vocat.

## §. 200.

Pro omnibus, qui torturae subiiciuntur, quaedam saltem innocentiae species dimicat, hinc ergo sequitur, id quod etiam ipsae leges praecipiunt, vti patet ex Tit. Pand. de Quaestion. et Artic. **xxix.** Const. Crim. Caroli V, torturam semper ita esse instituendam, vt ex inde reus, nec in Elem. Med. Forens. M. mor.

mortem, nec in morbum quendam grauiorem incidat. Iudicis ergo officium est, carnicem monere, quo caute in instrumentorum adlicatione torturae procedat, valet hoc praeprinis quoque ratione perconsionum, quae sub tortura adlicantur, quea hinc vel omittenda vel moderandae sunt.

## §. 201.

Subiectum, quod torturae subiicitur, ad quaestiones proponendas respondere debet (§. 196.); cum vero homo defectu iudicij sani laborans ad quaestiones, quae ipse proponuntur, respondere non possit: patet, omnes, qui defectu iudicij sani laborant, a tortura esse liberandos.

## §. 202.

Tortura semper est ita instituenda, ut exinde inquisitus nec in morbum grauiorem, nec in mortem incidat. (§. 200.) Quodsi vero corpus inquisiti hac vel ista notabili valetudine labefactata laborat, tunc perquam facile, vbi torturae subiicitur, vel in morbum grauiorem, vel in mortem incidere potest (§. 198.) consequenter adparet, quod inquisiti laborantes valetudine labefactata notabili, etiam immunes esse debant vel ab omni tortura, vel saltim a certis torturae gradibus. Expresso hinc monet Const. Crim. Caroli V. Artic. LIX. quod inquisiti valetudo et naturae debilitas semper in quaestione criminali a iudice obseruetur.

## §. 203.

Tandem etiam ista subiecta, quae ceteroquin sunt sana a tortura vel omni, vel certis eius gradibus et quidem vel quoad tempus, vel semper sunt liberanda sunt, quando ob certas quasdam circumstantias praesentes ipsorum constitutio corporis ita se habet, ut si torturae subiiciantur, exinde vel mors sequatur vel morbus quidam grauior oriatur (§. 200.)

(§. 200.) Hae circumstantiae v. g. sunt extraordinaria systematis neruosi sensilitas, grauiditas, fluxus mensium praesens, puerperium, lactatio, aetas infantilis, adolescentia, aetas decrepita cert.

§. 204. *florat ibi*

Patet ergo (§. 201. seq.) quod isti rei torturae non sint subiiciendi, qui physice seu medice non sunt apti ad eam perferendam. Tales sunt

*iudicij laborant* (§. 201.).

2) quorum sensitas notabiliter est labefactata. (§. 202.)

3) qui quidem sunt tali, ut quorum constitutio corporis ob certas quasdam circumstantias praesentes ita est com-  
parata, vt ex tortura incidere possint vel in mortem vel  
saltim in morbum quendam grauiorem (§. 203.).

§. 205. *loco primo in*

Quod si ergo in foro inquisitorum defensores adserunt, quod inquisiti physicc vel medice non sint apti ad sustinendam torturam vel omnem, vel saltim hunc vel istum gradum, (§. 199. et 204.) iudicis officium postulat, vt, antequam talis actus iudicialis instituitur, medici iudicium in auxilium vocet. Ut itaque medicus tali in casu magis accurate deponere possit (§. 1.) potiora, ad quae ipsi est respi- ciendum, in medium proferre volumus, nimisrum ostensi- ri sumus:

1) quinam inquisiti ab omni tortura, et quinam  
2) a quibusdam saltim gradibus sint liberandi;

§. 206.

Ab omni tortura immunes manere debent:

a) grauidae, quia tales partim habent sistema neruorum magis sensibile, partim facile per torturam in abortum incidere possunt (§. 204. no. 3.).

M 2

b) pu-

- b) puerperae, quia pro vulneratis sunt habendae (§. 204. no. 2.).
- c) menstruantes, quia fluxus mensium irregularis reddi potest (§. 204. no. 3.).
- d) lactantes, quia partim foetus debitum nutrimentum capere non potest, partim nodi in mammis exoriri queunt (§. 204. no. 3.).
- 5) infantes (§. 90. et 204.) pueri (§. 91. et 204.) decrepiti (§. 94. et 204. no. 1.).
- 6) eiusmodi subiecta, quorum sistema neruosum extraordinaria gaudet sensibilitate. (§. 204. no. 3.).
- 7) melancholici, amentes, stupidi, maniaci (§. 204. no. 1.).
- 8) certo respectu muti et surdi (§. 204. no. 2.).
- 9) qui laborant eiusmodi veris morbis non simulatis, qui per torturam augmentum accipere possunt. Tales sunt omnes morbi chronici cum notabili debilitate iuncti, epilepsia periodica faepius recurrens et magis inueterata, catalepsis, hydrops, vertigo, lues venerea grauior, arthritis febrilis cetera.

## §. 207.

- A polletris (§. 197. 1.) liberi esse debent isti inquisiti,
- a) qui proximi sunt annis pubertatis (§. 92. et 204. no. 3.).
  - b) qui senio sunt confecti (§. 24. et 204.).
  - c) qui panaritio laborant (§. 204. no. 3.).
  - d) qui habent aneurisma brachii (§. 204. no. 3.).
  - e) qui vlcere quodam alio in brachio grauiori vexantur (§. 204. no. 3.).

## §. 208.

A compedibus (§. 197. no. 2.) liberandi sunt, qui pedes habent oedematosos, et qui in tibiis vlcera inueterata aliaque gerunt (§. 204. no. 2.).

## §. 209.

## §. 209.

A fidiculis liberantur (§. 197. no. 3.) in primis, si hae fortius adducuntur et rotantur,  
 1) iuuenes (§. 92. et 204. no. 3.) facile enim laedi potest exinde articulatio manus cum cubito.  
 2) qui vlcus, vel cicatricem, vel luxationes aut fracturae vestigium his in partibus, vbi adplicantur, monstrant.  
 3) qui chiragra nodosa laborant (§. 204. no. 2.)

## §. 210.

Torturae scalae non sunt subiiciendi (§. 197. no. 4.) iuuenes, (§. 92.) in aetate senili constituti, (§. 94.) obesi, asthmatici, gibbosci, qui ad haemoptysin inclinant, fonticulos gerunt, vomica pulmonum laborant, brachiorum fracturam, vulnera sunt passi, qui aneurisma brachii habent, qui ad lipothymiam sunt dispositi, de crebrioribus cordis palpitationibus conqueruntur, qui sunt herniosi (§. 204. no. 2. et 3.).

## §. 211.

Ope istius instrumenti, quod vulgo vocatur *der gespickte Haase* (§. 197. no. 5.) non sunt torquendi, nisi iti, qui a tortura scalae liberi manere debent (§. praec.).

## §. 212.

Ab ista tortura in specie, quae fit ope instrumenti italicii Megapolitani (§. 197. no. 6.) liberi manere debent omnes rei, qui non sunt torquendi per polletra (§. 207.) atque compedes (§. 208.)

## §. 213.

Quia per istud instrumentum torturae, quod vocatur die *Bamberger Tortur* (§. 197. no. 7.) atrocissimi excitantur dolores.

24 PARS I. SECT. II. CAP. III. IV. TORTVRA.

dolores, hinc credimus, quod omnes isti inquisiti a tali tortura sint liberandi, quorum corpus non est satis robustum, seu qui sunt ita dicti valetudinarii. Ceterum simul adhuc est notandum,

- 1) quod si reus pollicetur, se esse confessurum, Iaxanda sint ferramenta;
- 2) quod vi legum non ultra horam durare debeat;
- 3) quod quando tortura repetitur, haec non prius sit instituenda, quam dum partes vexatae iterum fuere sanatae.

Poena corporis afflictiva est malum quoddam, quod pati debet is, qui scelus quoddam commisit. Hoc malum consistit vel in certis quibusdam sensationibus ingratibus, vel in more, quam pati debet. In priori casu vocatur poena extraordinaria seu afflictiva stricte dicta, in posteriori vero capitalis poena.

§. 214.

Ratione poenae capitalis (§. praec.) notandum:

- 1) quod isti, qui ea multantur (§. 214.) ab omni morbo grauior debent esse immunes, etiam cum aliis praesentia et constantia in eiusmodi moribundis adesse debet.
- 2) quod ea, quoad tempus sit differenda in praegnantibus, puerperis atque lactantibus.

§. 215.

Ratione poenae extraordinariae (§. 214.) sequentia postissimum sunt obseruanda:

- 1) quod mitius puniendi sint pueri, senes, valetudinarii;
- 2) quod si eae consistunt in laboribus, quos subire debent, hi semper corporis viribus proportionales esse debeant, ne in morbos grauiores exinde incidant.
- 3) quod

3) quod si talis consistit in carcere, in quo ad definitum tempus est detinendus aliquis, eo respiciatur, ut aer in carcere sit purus non putridus, atque alimenta bona, ad vitam sustentandam necessaria atque sufficiencia porrigantur.

## C A P V T I V .

## DE STUPRO VIOLENTO.

§. 217.

Tria in medicina forensi ratione stupri violenti sunt ex-pedienda:

- 1) an stuprum violentum sit possibile?
- 2) an ex stupro violento patrato femina fieri possit grauida?
- 3) quaenam sint signa stupri violenti patrati?

§. 218.

Primam quaestionem (§. 217.) ita soluimus. Distinguendum est inter stuprum consummatum atque attentatum. Attentatum, sub quo intelligitur tale stuprum, vbi quis feminam quandam vi quadam attributa comprimere intendit, sed a consummatione coitus vel ob feminae resistentiam, vel ob aliam causam superuenientem impeditur, omnino est possibile. Consummatum vero, sub quo intelligitur tale stuprum, vbi consummatio coitus fit sine omni voluntate et permissione feminae, non est possibile, si nempe coitus ordinario fit modo, et extraordinariæ causæ nullæ accedunt. Tot vires enim femina semper habet, quot sunt necessariae, ut clunes motitando, retrahendo, imo ipsis manibus immisionem membra virilis in vaginam vteri impedire queat, dummodo constans manet propositum, in tale fa-

Etum

SEC.

Etum non consentiendi, ex physicis enim est notum, minorem resistentiam esse sufficientem ad impediendum motum cuiusdam corporis, quod contra pondus mouetur, dum vero vir membrum in vaginam uteri immittere vult, semper corpus suum contra pondus mouere debet. Patet hinc, quod iudices circumspici esse debeant, quo minus cuius impudicæ mulieri vel puella de vi sibi illata conquerenti, statim fidem adhibeant.

219.

Ex coitu foecundo id est tali, qui ita se habet, vt dum fit seminis ejaculatio, femina si in aestu venereo constituta, tantum sequitur impraegnatio. (per princ. physiol.) Cum itaque ista, cum qua vir stuprum violentum patrat, in nullum aestum venereum incidere potest, quia sub his circumstantiis nulli stimuli venerei adesse possunt, sequitur, vt si etiam stuprum violentum esset possibile (§. 218.) nulla tamen exinde euenire possit impraegnatio (§. 217. n. 2.).

Varia quidem signa stupri violenti (§. 217. n. 3.) ab auctoribus enarrantur, et quae quoad maximam partem desumuntur a partium genitalium tumore, inflammatione atque cruentatione, verum ea sunt insufficientia, non possunt enim tales laesiones partium genitalium ab aliis quoque violentiis externis oriri, et hinc medicus tali in casu semper ratione sua depositonis maxime cautus esse debet.

SEC.

## SECTIO III.

DE IIS DOGMATIBVS, QVAE MEDICO SCITV  
NECESSARIA, VBI IPSI IN FORO ECCLES<sup>ECCLESIO MED</sup>  
ASTICO EST DEPONENDVM.

## CAPVT I.

## DE DIVORTIIS.

Varios esse morbos, qui etiam verae diuortii causae esse possunt, omnes Iuris Canonici Doctores adfirmant. Quodsi hinc in foro ecclesiastico vrgetur diuortium ex ea causa, quod talis morbus adsit vel in marito vel in vxore, qui pertinet ad classem causarum diuortii legitimarum, iudex, priusquam de dissoluendo matrimonio iudicat, certus esse debet, quod talis morbus etiam actu locum habeat, et hanc ob causam semper antea medici sententiam rogare debet. Cogniti ergo debent esse medico tales morbi, alias enim minus accuratam efformabit relationem. Necesse ergo est, ut tales morbi a nobis nunc enarrentur.

§. 221.

Tales morbi (§. praec.) in genere sunt omnes isti, qui plenarie procreationem sobolis impediunt, quando simul sunt

- 1) antecedentes i. e. quando iam adsuere ante matrimonium contractum;
- 2) absolute insanabiles;
- 3) ab una vel altera parte ante matrimonium consumatum celati.

Elem. Med. Forens.

N.

§. 223.

## §. 223.

Omnis morbi procreationem sobolis plenarie impedientes sunt in genere duplicitis, generis alii pro subiecto habent organa generationis, alii vero non,

## §. 224.

Ad istos morbos, quorum subiectum sunt organa genitalia (§. praec.) pertinent:

- 1) impotentia virilis, seu iste status hominis masculini, quo ad generandum non est aptus, et quidem absoluta seu continua i. e. talis, quae nulla arte est corrigibilis;
- 2) sterilitas seu iste status feminae, quo ad concipendum non est apta, et quidem absoluta seu continua i. e. talis, quae omnem artem humanam eludit.

## §. 225.

Impotentia absoluta in maribus locum habet (§. praec. no. I.).

- 1) quando sunt eunuchi, qui sunt tales, qui nullos testiculos habent, his enim deficientibus deficit semen, quod ad generationem est absolute necessarium;
- 2) quando sunt spadones et quidem tales, quorum nervi, qui membra genitalia, vel horum musculos mouere debent, sunt concussi, ut hinc plane nullos experiantur stimulos veneros;
- 3) quando mentula per amputationem prorsus est resicca vel breuior reddit;
- 4) quando hypopspadia laborant i. e. quando penis inconuenienter perforatus est;
- 5) quando testiculi ambo sunt perfecte scirhosi;
- 6) quando ipsorum semen est nimis aquosum, atque minus

- nus spirituosum, ita ut nulla arte haec qualitas vitiosa corrigi possit;
- 7) quando habent penem nimis crassum;
  - 8) quando frenuli et praeputii nimia adeſt adſtrictio, operatione chirurgica non leuanda, quod malum ab aliis vocatur capistratio;
  - 9) quando habent veficulas feminales ſcirrhofas.

## §. 226.

Sterilitas absoluta (§. 224. no. 2.). in vxoribus locum habet:

- 1) quando ſunt atretae seu imperforatae et quidem tales, vt incifio ſalua vita in iis non poſſit institui;
- 2) quando laborant fluore albo nulla arte corrigitib;li;
- 3) quando habent vaginam vterinam nimis angustum ob ſcirrhos vel alios tumores praefentes, qui nulla remoueri poſſunt arte. Conferantur ſimul ea quae ſupra dicta ſunt (§. 19.).
- 4) quando orificium vterinum internum plane eſt coalitum.

Schol. I. Non negamus, quod sterilitas absoluta etiam locum habere poſſit, quando vitium quoddam ratione partium genitalium adeſt internarum, ſed talis a medico faepiſime accurate non detegi poſteſt v. g. iſta, quae depeſtent ab obſtruicione tubarum Fallopianarum.

Schol. II. In errore ergo versantur iſti, qui exiſtimant, quod omnes iſtae feminae tantum ſint ſteriles, quae virum admittere non poſſunt.

## §. 227.

Interdum etiam ratio cur matrimonium infoecundum et in marito et in uxore ſimul eſt quaerenda v. g. ſi propor- tio partium genitalium vtriusque ſexus eſt euidenter laeſa.

N 2

§. 228.

100 PARS I. SECT. III. CAP. I. II. DIVORTIVM.

Isti morbi, quorum subiectum non sunt organa genitalia et qui tamen etiam causa diuortii legitima sunt, (§. 223.) tales sunt, qui procreationem sobolis ideo impediunt, quoniam vel sunt contagiosi vel auersationem creant. Pertinent ad hos 1) lues venerea 2) melancholia 3) epilepsia 4) scorbūtus 5) foetor oris magis inueteratus.

§. 229.

Est autem etiam silentio non praetereundum:

- a) quod neutquam vti ex dictis patet ad classem imponentia absoluta laborantium (§. 225.) referri queant:
  - 1) Monorchides seu tales, qui vnum tantum testicudo habent;
  - 2) Triorchides seu tales, qui tres habent testiculos;
  - 3) Spatones, si nempe sub his intelliguntur tales, qui vno testiculo tantum sunt praediti;
  - 4) Androgyni (§. 41.).
  - 5) Circumcisi;
  - 6) Recutiti seu tales, qui arte defectum praeputii reintegrarunt;
  - 7) Cryptorchides, qui testiculos non habent haerentes in scroto, sed vel in abdomen, vel in inguine;
  - 8) Phymosi laborantes;
  - 9) Infibulati i. e. tales, qui habent praeputium ligatum, quae ligatura fibula metallica vel filo est facta;
  - 10) quorum penis a natura iusto est longior vel breuior.
- b) quod sterilitate absoluta (§. 225.) non laborent istae vxores
  - a) quorum uterus est prolapsus;
  - b) quae habent clitoridem nimis magnam;
  - c) quae

- c) quae sunt Androgynae. (§. 41.)
- d) quae habent vaginam nimis amplam;
- e) in quibus adeat fluxus menses anomalia;
- f) quae laborant ruptura perinæi.

## §. 230.

Quodsi haec tenus dicta (§. 221. sequ.) rite perpendimus, adparebit, quod in omnibus ipsis casibus, ubi impotentia (§. 225.) vel sterilitas (§. 226.) tanquam causa diuinitati legitima allegatur, a medico semper partium genitalium inspectio fieri debeat, ut certo adpareat, an etiam talis impotentia et quidem absoluta (§. cit.) actu adsit, alias enim exactam relationem efformare non potest. Possunt hinc etiam recusantes ad talem inspectionem cogi, quia talis inspectio iure canonico est probata. Cap. 4. X. de Probat: Quando itaque medicus talem suscipit, duo ipsi sunt facienda:

- 1) accurate disquirere debet constitutionem partium genitalium externarum;
- 2) simul reflectere debet ad omnia ea, quae requiruntur respectu maris ut generare, respectu vxoris, ut concipere queat. Et si forsitan evenit, ut medicus facta inspectione nihil certi determinet ratione impotentiae vel sterilitatis absolute, pro re nata noua ab aliis medicis etiam potest institui inspectio.

## C A P V T II.

## DE BAPTISMO MONSTRORVM.

## §. 231. IV. MULIERES.

Omnia monstra, quae in lucem eduntur a grauidis, tantum sunt imperfecta, perfecta enim existere nequeunt

N 3

(per.

(per. §. 38.) adeoque talia, si modo sunt viua atque vitalia, omnino sunt baptizanda. Imo si tale monstrum consistit in foetu bicorporeo, gemellis certo in loco quodam concretis, hoc pro duobus est baptizandum. Quemadmodum hoc quoque valet de monstro, quod est foetus biceps.

## PARS II.

**PROPONENS EA DOGMATA, QVAE MEDICVS  
NOSSE DEBET, VBI IVDEX IDEO INSTRVENDVS,  
VT SALVTEM SVBDITORVM MAGIS  
PROMOVERE POSSIT.**

§. 232.

Promouetur salus reipublicae potissimum a iudice, ubi omnes intendit nervos, vt sanitas publica, quoad fieri potest, conseruetur. Optime hoc fieri potest, quando iudices medicos satis peritos legitime promotos constituant et ab his exspectant ea, quae ordinanda sunt in republica, quo sanitas subditorum quoquis modo illibata conseruari queat. Quid ergo medico tali in casu agendum, ex sequentibus satis clare adparebit.

§. 233.

Procurari potest optime sanitas publica, quando sequentia probe obstruantur:

- 1) dum ea, quae ciuium sanitatem laedere possunt, quo uis possibili modo auertuntur;
- 2) dum curatur, vt subditii aduersa valetudine gaudentes non destituantur istis subsidiis, quae maxime necessaria sunt, vt morbus praesens tolli vel saltim mitior reddi queat;
- 3) dum morbi contagiosi atque epidemicci praecauentur.

§. 234.

## §. 234.

Auerti possunt causae sanitatem publicam laedentes  
(\\$ 133. no. 1.).

- 1) quando aer, in quo degunt subditi, magis purus conservatur. Fieri hoc potest potissimum, si corpora putrida remouentur, aquae impurae ductus purgantur, copiosa funera templis non inferuntur, coemetria tali in loco ordinantur, vbi accessus aeris est liberior, istae officinae, vbi aer exhalationibus putridis imprae-gnatus haeret, longius a loco, vbi viuunt subditi, remouentur;
- 2) quando cauetur, ne frumenta corrupta putrida, carnes animalium morbo affectorum, fructus horaei immaturi, vina malae notae, cereuisiae foeculentae, vapidae, vegetabilia venenata, v. g. fungi nociui vendantur;
- 3) quando cura geritur, vt istae aquae, quarum quotidianus usus ciuibus ad vitam sanitatemque conseruandam est necessarius, sint satis purae. Signa ex quibus quam optime cognosci potest, num aqua quaedam sit pura, solidissime narravit *Muschienbroek in Compendio Physices* §. 470.
- 4) quando catietur, ne spiritus frumenti maiori in quantitate praeparetur;
- 5) quando pauperibus ea, quae ad vitae sustentationem sunt quam maxime necessaria, porrigitur;
- 6) quando lupanaria publica non tolerantur;
- 7) quando melancholici, furiosi etc. custodiuntur;
- 8) quando animalia rabiosa statim necantur;
- 9) quando doctores bullati, opiliones, carnifices, circumforanei, medicastrri, ad praxin medicam non admittuntur;

- 10) quando non permititur, ut pharmacopoei, obstetrics, medicamenta aegrotis exhibeant;
  - 11) quando infantes expositi vel alii a parentibus delli suntibus educantur publicis;
  - 12) quando cauerit, ne pharmacopoei vendant medicamenta iis, quibus artem medicam exercendi non est permisum;
  - 13) quando cauetur, ne pharmacopoei promiscue vendant medicamenta magis actiuora, ut vomitoria, purgantia, emmenagoga, spiritus acidos minerales cetera, nec non venena;
  - 14) quando obstericibus iniungitur, nec non chirurgis, ut in casibus altioris momenti mox medici satis periti auxilium implorent;
  - 15) quando sit exsectio foetus adhuc viui ex vtero matris mortuae, quemadmodum hoc etiam leges notant, ut patet ex Leg. regia L. xi, Dig. Tit. 8.
  - 16) quando praecauentur morbi contagiosi, qui oriuntur in armentis. Vid. Ludwig Instit. Med. Forens. endi p. 33. et 34.
- §. 235.

Ciues in republica viventes aduersaque i valetudine gaudentes, necessariis non destituuntur subsidiis, quibus mediantibus sanitatem amissam iterum, si est possibile, recuperare possunt (§. 233. no. 2).

- 1) quando in republica medici solida cognitione artis medicae instructi constituuntur, atque vni vel alteri ex his munus medici Provincialis seu Physici conferuntur, quo iudices ordinarie vtuntur in variis occurrentibus casibus medico-legalibus;
  - 2) quando nosodochia publica instituuntur;
  - 3) quando pharmacopoei atque chirurgi in arte satis clari, nec
- (o)

nec non obstetrics artis suae satis peritae in republica  
constituuntur; ac tandem  
4) quando officinae pharmaceuticae constituto tempore  
visitantur atque medicamentorum bonitas rite disquiritur.

## §. 236.

Nunquam ergo in rempublicam bene constitutam re-  
cipiendi sunt pharmacopoei, chirurgi, obstetrics, nisi  
antea rite sint examinati, ac postmodum iuramento obstricti.  
Committitur tale examen a iudice vel collegio medico, vel  
medico physico. Necesse ergo est, ut recenseamus potiora  
momenta, quorum ratio habenda, 1) dum a medico tale sus-  
cipitur examen 2) dum officinae pharmaceuticae visitantur.

## §. 237.

Quod si medico examinanda est femina, quae mu-  
nus obstetricis administrare vult, ad tria respiciat necesse  
est, quae si locum habent, iudicare potest, eam eiusmodi  
officio dignam esse, nimirum inquirere debet:

- 1) an physice sit apta;
- 2) an moraliter sit apta;
- 3) an quoque artem obstetriciam calleat.

Physice est apta, si mediae est aetatis, corpore gaudet magis  
robusto, sano, iudicio est praedita, habitum corporis obe-  
sum non habet. Moraliter erit apta, si est pia, honesta,  
ebrietatem non amat, insimulque aliis conspicua virtuti-  
bus. Artem suam probe calleat:

- 1) quando habet sufficientem notitiam anatomicam omni-  
um partium genitalium et quidem potissimum viarum per  
quas foetus, dum sit partus, transit, et quae sunt pel-  
vis, orificium vterinum internum atque vagina vteri;
- 2) quando ipsi sunt cognita signa grauiditatis, abortus  
futuri, partus instantis, foetus in utero haerentis vel  
viui vel mortui, virginitatis, partus naturalis, diffi-  
cillis atque praeternaturalis;
- 3) quan-  
Elem. Med. Forēns.

- 3) quando nouit ea, quae agenda sunt in partu naturali, et quae sunt determinatio commodi parturientis situs, extractio foetus, vmbilici deligatio et abscissio, secundinarum extractio et separatio, ligatura abdominis puerperae ope fasciae latae, sordium foetui adhaerentium abstersio, foetus recens nati apta inuolutio, etc :
- 4) quando satis exacte nouit, quomodo versio instituenda;
- 5) quando cognita habet atque perspecta ea, quae agenda sunt, quando partus vel est difficilis vel praeternaturalis.

§. 238.

Quodsi medico chirurgus in rempublicam recipiendus (§. 236.) est examinandus, explorandum est, an sequentia habeat requisita, quae si inuenit, in foro deponere potest, quod sit dignus, qui in rempublicam recipiatur. Sunt vero haec requisita:

- 1) debet esse sobrius, pius, modestus, satis robustus, oculorum acie non destitutus;
- 2) debet esse satis versatus in anatomia;
- 3) debet habere sufficientem notitiam omnium morborum externorum v. g. luxationum, fracturarum, vulnerum, ulcerum etc. nec non operationum chirurgicarum, medicamentorum externis usibus destinatorum, adlicationis fasciarum, diuersorum instrumentorum chirurgicorum etc.

§. 239.

Dum vero examen pharmacopoei in rempublicam recipiendi (§. 236.) instituitur, ad sequentia mens potissimum est dirigenda. Nimirum recipi potest in rempublicam, quando est vir probus, honestus, linguam latinam probe calens, discernere valens omnia medicamenta sub eodem genere contenta, probe intelligens characteres huic vel isti medicamento, quatenus est genuinum, competentes, chemiam pharmaceuticam, i. e. præparationem medicamentorum simplicium atque compositionem medicamentorum, dosin medica-

men-

mentorum actiuiorum v. g. vomitoriorum, purgantium, opia-  
torum etc. probe cognita habens ea, quae habent vim ve-  
nenosam, botanices, atque materiae medicae satis gnarus,  
in doctrina de salibus satis versatus.

## §. 240.

Porro etiam tradenda sunt ea, quae medicus nosse de-  
bet, quando officina pharmaceutica ab ipso est visitanda (§. 235.  
n. 4.) Diuidimus talem visitationem in magis solemnam at-  
que minus solemnam. Magis solemnis audit, quando insti-  
tuitur ab uno vel pluribus medicis, praesente simul iudice;  
minus solemnis dicitur, quando dum instituitur, iudex non  
est praefens. Ita locum habet, vbi officinae pharmaceuti-  
cae visitantur in eiusmodi locis, vbi medicamentorum dispen-  
satio medicis est prohibita; haec vero locum habet, vbi offi-  
cinae pharmaceuticae visitantur in eiusmodi urbibus, vbi  
medicis ipsis medicamentorum dispensatio est concessa.

## §. 241.

Quando visitatio officinae pharmaceuticae est magis  
solemnis (§. 240.) sequentia praecipue sunt eruenda:

- 1) an omnia ista medicamenta inueniantur actu in tali  
officina, quae necessario in ea prostare debent;
- 2) an etiam omnia medicamenta, quae in ea prostant,  
sint satis genuina;
- 3) an vasa, in quibus medicamenta conseruantur vel prae-  
parantur, sint satis apta;
- 4) an medicamenta loco satis apto etiam conseruentur;
- 5) an sodales pharmacopoei etiam ea intelligent, quae ab  
ipsis iure possunt postulari.

## §. 242.

Omnis officina rite ordinata ex duabus constat parti-  
bus, quarum una audit corpus pharmaceuticum, quod sub se  
comprehendit omnia medicamenta simplicia; altera vero  
appellatur corpus chemicum, quod sub se complectitur  
omnia

omnia medicamenta composita. Quod si ergo visitatio officinae solemnis instituitur 1) corpus pharmaceuticum constans ex vegetabilius, animalibus et mineralibus, secundum dicta (§. praec. n. 1. 2. 3. 4.) ac 2) corpus chemicum etiam dicta ratione, qua pharmaceuticum, est examinandum.

## §. 243.

Ea quae dicta sunt (§. 241. 242.) etiam valent, quando visitatio officinae pharmaceuticae, quae fit, est minus solemnis (§. 240.) excepto hoc unico, quod sufficiat, quando in tali officina sicut in medicamenta maxime necessaria atque usualia reperiuntur.

## §. 244.

Tandem adhuc est demonstrandum, qua ratione morbi contagiosi atque epidemici in republica possint praecaueri. (§. 233. n. 3.) Est vero morbus contagiosus epidemicus praecauendus vel pestis, quae consistit in febri acutissima maxime maligna, summe perniciosa, atque summe contagiosa, vel alius morbus. Si est pestis, praecaueri potest, quando potissimum sequentia obseruantur, nimirum:

- 1) purificationi aeris est studendum. Purificari vero potest, quando in locis publicis ignes accenduntur, tormenta bellica saepius exploduntur, ut aer in motum veniat, campanae pulsantur, mundities in viis et aedificiis publicis omni possibili modo obseruantur, deflagratio sulphuris, picis etc. in viis publicis fit, in aedibus priuatis acetii evaporatio instituitur, nec non sufficiunt ex ligno iuniperino cum baccis;
- 2) limites sunt figendi, quos nec infecti, nec sani debent transgredi. Custodes hinc limitum maxime attenti esse debent, ne commercia fiant illicita;
- 3) commercia cum prouinciis in quibus contagium saevit, plane sunt interdicenda;
- 4) naues ex tali plaga venientes, vbi pestis saevit, non sunt in portubus excipiendas, nisi sanitatis testimonio sint

- sint instructae, imo, vt omnis suspicio cesseret, tales homines, qui cum eiusmodi natibus adueniunt, e republi-  
ca per XIV, vel quoque XL dies sunt excludendi, merci-  
moniaque ventilationi aeris exponenda;
- 5) medici et chirurgi ita dicti pestilentiales sunt constitu-  
endi, id quod etiam valet de ministris verbi diuini at-  
que obstetricibus;
  - 6) aegri imprimis pauperes in nosodochia sunt deportandi;
  - 7) cadauera demortuorum mox sunt sepelienda;
  - 8) res omnes miasmate pestifero infectae v. g. vestimen-  
ta, indusia, strangula, sunt comburenda. Tales res vero,  
quibus tale miasma pestiferum adhaerere potest, prä-  
cipue sunt telae ex lana, serico, gossypio confectionae, pel-  
les animalium, linnea varia, chordae ex canabi aliisque  
vegetabilibus paratae;
  - 9) victus sanorum präcipue ex vegetabilibus et qui-  
dem talibus, quae sal acidum in se continent, constare  
debet. Imo sanis etiam commendandus est usus masti-  
catorum aliorumque medicamentorum präseruatorio-  
rum insimulque adhortandi, vt omnem metum abiificant.  
Quodlibet vero morbus contagiosus non est pestis, tunc vel est  
febris quaedam maligna epidemica multos necans, vel non.  
Si prius, präcaueri potest quando
  - 1) medici in causas et vera curationis remedia inquirunt  
fatis accurate;
  - 2) pauperes in nosodochia deferuntur;
  - 3) aegri a sanis separantur;
  - 4) sanis diaeta congrua präscribitur, omnisque opera  
datur, vt aeris purificatio obrineatur;
  - 5) masticatoria aliaque medicamenta präseruatoria in  
usum vocantur.
- Si posterius, präcaueri potest morbus v. g. si est lues venera,  
si tales aegroti a reliquorum hominum consortio plane remo-  
uentur, in nosodochia transferuntur, atque in his seorsim  
collocantur.

O 3 INDEX

INDEX.

A.

*Abdominis expansio maior in semina  
nde dependeat?* §. 9.

*Abortus quid?* §. 24.

*Aborticidium quid?* 181 signa quae declarant feminam abortum esse passam aut iuniorem, aut grandarem 86. 87. an dentur remedia absolute aut simpliciter talia abortum promouentia 193. causae praedisponentes ad abortum 193. an ea persona, quae data opera abortum promovet, verum committat homicidium? 194 in quod medicus hac de re inquirere debeat, 195.

*Aeraria tam in sensu lato quam stricto sumtus definitio* 89. *infantilis* 90. *puerilis* 91. *juvenilis* seu *pubertatis* 92. *virilis* 93. *senilis* 93. *Animae humanae sedes ubipam?* 49.

C.

*Chirurgi quomodo constituendi?* 236. 238.

*Circulatio sanguinis, quod in infante recens nato adfuerit, ex quibus signis diudicandum?* 184 quomodo haecce signa sint sumenda 184. Not.

*Concepio ubi sit et quomodo?* 45.

*Cordis ad actionem necessaria requisita* 165.

*Corpus delicti quid?* eius materiae et formale 110.

D.

*Divortiorum rationes physicae et cau-  
sae, imprimis legitimae* 221. 230.

F.

*Femina an partum ediderit signa, quo-  
tuplicis sint generis?* 82. sequi, an partum perfectum ediderit? 83. an de recenti? 84. an olim foetum

ediderit perfectum? 85. an abortum fecerit? 86. an abortus fuerit grandi or aut iunior? 86. 87.

*Foetus quoniam tempore post factam in matre conceptionem vitam vi-  
vere incipiat?* 44. negative 45. vius est quamvis in utero nondum respiret 45. animatus seu formatus et non animatus quid? 46 iphus falsa distinctio 44. 48. 47. 48. a conceptionis momenio est animatus 47. an causae admittit que foetus moram in utero retardare possunt 66. n. 2. in utero haerens an respirare possit 187. Not.

*Gemelli quid?* 31. cuiusnam ius primo-  
geniture competit? 52 quando haecce decimo 1Cis quando medi-  
cis forenibus sit relinquenda? 52.  
*Grauiditatis falsae, vere, ordinariae  
et extraordinariae definitio* 9. *vere  
celatae* 10. *cautae hucus diffimula-  
tionis* 10. *fictae* 18. seq. signa cer-  
ta 13. incerta 14. *Falsa* 15.

H.

*Hermaphroditus, perfectus et imper-  
fectus, androgynus et androgyna  
quid?* 29. 41. aut vir est aut femina  
41. alii tertium genus adiunxunt 41.  
fum species monstri 42. an pro po-  
tentibus aut impotentibus sint decla-  
randi? num ad matrimonium ad-  
mittendi etc. 43.

*Hymen, quid?* 74. n. 7. an ipsius praescientia semper sit signum vir-  
ginitatis? 77.

I.


*Impotentia, 224. absoluta, 225. 226.  
qui non sunt pro impotentibus ha-  
ben-*


# INDEX

- bendi** 229. ad inspectionem cogi-  
 possunt 230. quaenam medico  
 in ea sint obseruanda 230.  
**Impraequario**, quando fit 219. noua  
 quando non obtinet 59.  
**Incantatio**, quid? 104. an dentur in-  
 cantamenta? 104.  
**Infans**, quod respirauerit post partum  
 ex quibus intelligere possit medi-  
 cus 185 quando medicus adfirmare  
 potest, causam mortis infantis esse  
 quandam violentiam 188. quid hac  
 de re sit obseruandum 189.  
**Infanticidium**, quid et quotuplex? 181.  
 quaenam in hac doctrine rite sint  
 exponenda? 182.  
**Inspectio**, quomodo instituenda, qui-  
 busque committenda 16. quando  
 veritas per illam probari possit 17.  
 ventris 79. quaenam medicus ante  
 illam obseruare debeat 80. leges  
 illam praecipientes 88. cadaveris  
 quid? 108. 109. in quemnam finient  
 instituatur 111. quinam inspicien-  
 tem necessariae, et rationes quae  
 hanc necessitatem postulant 113.  
 114. 115. 116. 117. 118. 119; an  
 inspectio omnibus in casibus con-  
 tingentibus sit necessaria 120. que  
 obseruanda sunt dum inspectio sit  
 121. 149. illa ad finem perducia  
 122. infants, de quo suspicio est,  
 quod morte violenta fuerit occisus,  
 quomodo a medico sit instituen-  
 da 190.  
**Index**, quaenam obseruare debeat ra-  
 tione medicorum 232. in remo-  
 uendis iis, quae ciuium sanitatem  
 laedere possunt 234. in ordinandis  
 conualescendi subficiis 235. in pra-  
 cettendis morbis contagiosis et epi-  
 demicis 244.
- M.**  
**Matrimonii infaecundi rationes** 227.  
**Medicina legalis seu forensis** quid? 2.  
 consecutaria inde fluentia 3. unde  
 principia sint haurienda? 4. par-  
 tes atque usus ipsius; 5; 6; 7.  
**Medulla cerebri oblongata** 50.  
**Mala** quid? 70. quidnam suppo-  
 nat? 71.  
**Monstrum** quid et quotuplex? 25.  
 27. acephalum 28. illius cauſa 37.  
 an vitale 38. an detur perfecte tale?  
 38. an inter partus illegitimos sit  
 referendum? 69. an baptizandum?  
 231.  
**Morbi**, ob quasnam causas in foro  
 s fingantur? 95. morbi tales potiores  
 99. criteria fictionis 100. 101. 102.  
 103. 104. quoram testimonium  
 sit necessarium 95. ex quibus signis  
 morbus praesens concludi possit 96.  
 cautio adhibenda 97. celati, ob  
 quasnam res celantur 105;
- O.**  
**Obfusio**, an detur? 103.  
**Obstetrics**, quomodo constituenda;  
 236. 237.  
**Ostentum**, seu portentum quid? 29
- P.**  
**Partus**, vocabulum, quotuplici sensu sumi-  
 posit? 21. ordinarius et extraordinarius  
 quid 22. naturalis et artificialis 24. ma-  
 turus 24. eius signa 35. immaturus 24.  
 26. eius signa 34. praematurus 24. sero-  
 tinus 24. monstruos et non monstrosus  
 25. viuus et mortuus 30. vitalis et non  
 vitalis 30. quintam sint vitales 51. legitimus  
 et illegitimus 32. 62. sensu iuridico quo-  
 tuples? 63. legitimus ratione naturae  
 et conformatio corporis quid? 63. in  
 quibusnam casibus medico forensi de illo  
 sit judicandum 64. ad quodnam respon-  
 dum illi sit 65. 67. suppositus 53. casus  
 ubi medici iudicium in auxilium vocatur  
 53. mortuus quod sit exclusus, ex qui-  
 bus

# INDEX.

- bus medicus concludere possit? 186.  
*Pefis* quid? quomodo praecaunda? 244.  
*Pharmacopei* constitutio 236, 239.  
*Pharmaceutica officina* quomodo ordinata  
essi debent. 232; quenam in visitatione  
illius nosse debeat medicus. 230, 244.  
*Philtra*, quid? 157. sunt fabulosa 157.  
*Poena* afflictiva quid? extraordinaria et ca-  
pitalis 214, quid ratione huius sit obser-  
vandum 215, quid ratione illius 216.  
*quinan* hocce sint adisciendi 163.  
*Pulmo*, an ex illius subsistencia in aqua cum  
certitudine concludi possit? 187.  
R.  
*Relatio*, medica quid? 1. requisita §. 11, 16,  
S.  
*Sanitas*, quenam supponat 129, quae illam  
corrumpare possunt 131.  
*Sectio legalis* quid? 109, an in omnibus  
casibus contingentibus sit necessaria?  
120, cauteiae 121, quenam respicienda  
sunt, si de infante suspicio est, quod  
violenter fuerit occisis 190.  
*Sensoria communia* quid? 49.  
*Serilitas*, 224, quenam sint steriles 220,  
cum Schol. er quenam non 229.  
*Supram violentum*, consummatum et atten-  
tatum quid? 218, an possibile sit 218,  
an exinde possit evenire imprægnatio?  
220, signa quae ab aliis enarrantur 220,  
cautio iudicia 218, 220,  
T.  
*Superficiatio*, quid? vera et spuria 56, re-  
quisita necessaria 57, an existentia eius  
in dubium sit vocanda 58, in quibusnam  
feminis habeat locum 59, spuria in qui-  
busnam evenire possit 60, an tempus  
quo fieri solet certo constet, an signa  
cerca illa adsit, et quoniam de his  
sit probabile 61, et Nora.  
U.  
*Territo verbalis* et realis quid 199.  
*Tortura*, quid? 196.  
ipius potiora instrumentorum genera 179,  
in quo conueniant 198, gradus 199, le-  
ges quae de illa disponunt et quod in ad-  
plicatione illius iudicis officium est 200.  
Qui ab illa, propter circumstantias par-  
tum totaliter, partim partialiter sunt li-
- berandi 201, 202, 203, 204, 206, 207,  
208, 209, 210, 211, 212, 213, quae me-  
dicus respicere debet 205, generales ob-  
servations 213.  
*Trinelli*, quid? 31.
- V.
- Venenum et veneficum* quid? 127, per quas  
vias illud in corpus animale venire potest  
128, 149, eius modus agendi generalis  
129, commutat constitutionem partium na-  
turalium in praeter naturalem et quomodo  
129, 130, proprio et improprio tale 133,  
accutum et chronicum 134, amatorium  
aboriuum, sterilizare aut impotentiam  
inducens 135, aere, par, oricinum, suffo-  
atiuum, mechanicum, vicio-acre, infipillans,  
exsiccans, heteroclitum 136, natu-  
rale arte factum, vegetabile, animale, mi-  
nerale, 137, quenam ad illa pertinet  
138, 139, 140, 141, 142, 143, 144, 145,  
146, et 156, effectus varius pro varie-  
tate ipsius 147, quando magna veneri  
accepti suspicio adit 148, an sit causa  
mortis immediet, aut mediet 58.  
*Ventriculus*, quando et quomodo sit exami-  
nandus, et quae sunt obliteranda, 149,  
150, 151, 152, 153, 154.  
*Vinea adulterata* seu magonizata 35, 36.  
*Virginitas* sive fuitas idea 72, moralis, phy-  
sicae, integerrimas 72.  
*Virginitas*, quid ex quotuplex? 72.  
signa ipius 73, et 76, signum palmarium  
74, n. 7, quando praefacta illius  
certe determinari possit? 79.  
*Vulsum repertum* quid 123, positivum et  
suspensum, et quenam respicienda sunt  
medico 124, 191, tornalis 125, materia-  
lia 126.
- Vira hominis* quenam supponat 183.  
*Veneris bimodus et bi-ornis* 59.  
*Vulnus*, quid? 158, letale et non letale  
159, absolute et per accidens primi et secundi  
164, 167, per accidentes primi et secundi  
generis 161, conjectaria 162, quae me-  
dicus obseruare debet 163, 179, capitis  
169, 170, seq. colli 173, theracis 174, et  
176, abdomines 177, extremitatum 178.
- 
- Errata. p. 42. l. 4. pro *sectio* lege *sectio*  
p. 66, l. 1. pro *cordicu* lege *cordi*.
- X
- p. 54. l. 2. pro *corrosiua* lege *corresina*
- X














Um 64

X2536472

W







# IOANNIS FRIDERICI FASELII

PHIL. ET MED. DOCTOR.  
THEORET. PROFESS. PVBL. ORDINAR.

# ELEMENTA MEDICINAE FORENSIS

PRAELECTIONIBVS ACADEMICIS  
ACCOMMODATA

EDIDIT



I E N A E  
IMPENS. IO. WILH. HARTVNG  
CICID CCLXVII.